 Papencordt

Herrn Geh. Rath F. W. J. v. Schelling.

von dem Verfasser.

DE

ATOMICORUM DOCTRINA COMMENTATIONIS SPECIMEN PRIMUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOSOPHICA PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERÁRIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XV. M. SEPTEMBRIS MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

SCRIPTOR
FELIX PAPENCORDT
PADERBORNENSIS.

OPPONENTIBUS.
FRID. GRUETER, STUD. PHIL.
C. G. BOEHNICKE, STUD. HISTOR.
ANT. KUESTER, STUD. PHIL.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.



VIRO

DOCTISSIMO AMPLISSIMO

CH. AUG. BRANDIS.

PHILOSOPHIAE DOCTORI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARUM BORUSSICA RHENANA ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS SOCIO AB EPISTOLIS ETC. ETC. PRAECEPTORI OPTIME DE ME MERITO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Ex infinita rerum copia Atomicornm doctrinam explorandam suscepi et, quod talem disputationem a multis desiderari videbam et admonitione ductus Cl. Brandis., qui, fortasse nimis bene de me sperans, ne consilio desisterem, me excitavit. Prodit igitur, tamquam studiorum meorum primitiae, primum operae specimen. Hanc vero de Democrito expositionem ita absolvam, ut quae ratio intercedat eum inter et caeteros philosophos tam priores, quam posteriores, explorem. Dein de Protagora et iis, qui Democriti discipuli feruntur, et, quicunque hanc philosophiae rationem usque ad Epicurum sunt professi, disseram. In Epicuri ipsius doctrina tractanda non tam omnia ejus placita recensebo, quam eorum imprimis rationem reddam, quae a Democriti doctrina discrepant, rationibus allatis, quibus ductus doctrinae auctoris vestigia reliquerit. Haec de toto operis instituto dicenda habui. De ratione ipsa,

qua in Democriti doctriua exponenda versatus sim, pauca monebo. Cum antiquae philosophiae historia nulla re magis sit corrupta, quam quod ad nostras revocata est rationes, nihil antiquius habui, quam ut scriptorum vestigiis summa cum religione insisterem. Quare etiam fragmenta tantum doctrinae Domocriteae nobis esse tradita, celare nolui summamque adhibui cautionem, ne in lacunis explendis conjecturae nimium indulgerem. — In fragmentis scriptorumque testimoniis et colligendis et disponendis me alteri non multa reliquisse, pro virium infirmitate et temporum angustiis affirmare non ausim, quod spero fore ut ignoscant, quos de operis difficultatibus judicare deceat. — Eorum, qui antea in hac provincia elaborarunt, cum, nisi opere ad unguem paene redacto, aliorum scripta evolvissem, rarius rationem habui, nec tamen infitias ibo, me ex Cl. Brandisii et scriptis et lectionibus, ex Cl. Ritteri libris de historia philosophiae antiquae, et ex Cl. Wendtii in Tennemanni historiam annotationibus multum profecisse, singula vero iis accepta referre nec potui, nec postulabunt viri humanissimi. — Scriptorum testimonia ita attuli, ut optimorum quorumque delectum haberem et difficillima tantum spatio coactus latinis verbis explicarem. Editionibus, quas nancisci poteram optimas, sum usus, et ne impediantur lectores, eas recensebo. In

Aristotelis libris distinctionem vulgatam non reliqui, in Metaphysica vero paginas edit. Brandis secutus sum. In laudandis iis, qui de Aristole sunt commentati, edit. Aldinas; in Plutarchi scriptis, quae ad mores spectant, ed. Xylander.; in Diogene Laertio ed. Menagio - Meibom, in Stobaei eclogis ed. Heeren., in sermonibus ed. Gaisford., in Sexto Empirico ed. Fabric. (Struvii editionem serius mihi cognitam me non inspexisse, vehementor doleo), in Clemente Alexandrino ed. Potter., in Eusebii praeparatione evangelica ed. Viger., in (Origenis) Philosophoumenis ed. de la Rue. (Origen. oper. tom. I.), in Theodoreti libro de graecarum affectionum cura ed. Sirmond. (Oper. tom. IV.), in Alexandri Aphrodis. commentario ad Aristot. Metaphys. ed. Venet. 1561 *adhibui.*

VITAE CURRICULUM.

Ego Felix Papencordt natus sum Paderbornae Calend. Juliis MDCCCXII. a patre Martino Papencordt et matre Theresia e gente Schlenke. Natus fidem profiteor catholicam. Parentibus praematura mihi morte ereptis in tutelam transii viri summe venerandi Felicis Tuellmann, cui, cum a tenerve juventulis annis paterno me amore sit prosecutus, num-

quam dignas referam gratias, nec viri optime de me meriti memoria grato unquam excidet animo. A Gymnasio, quod in urbe patria per sex annos frequentaveram, primo maturitatis testimonio munitus, altiorem literarum sedem petii et per duos annos in literarum universitate Borussica Rhenana, per unum in Monacensi, et per hos menses aestivos in alma nostra literarum sede philosophiae et philologiae operam navavi. Viris clarissimis, qui me instituerunt, ex intimo corde gratias ago.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sophistae a ceteris philosophis non tam sententiis ipsis, quam ratione differunt, qua eas protulerunt.

II.

Democritus Ionicis potissimum physiologis est annumerandus.

III.

Cecrops est Janus Atheniensium.

IV.

Agesilaus ad maximos Graecorum viros falso refertur.

V.

Pipinus Parvus criminatione, eum contra jus fasque Francorum regnum sibi vindicasse, ex Germanorum institutis est liberandus.

VI.

Historia literarum Graecarum secundum genera, Romanarum vero et recentiorum ex temporum ratione potissimum est describenda.

VII.

In Demosthenis orat. adv. Midiam p. 516. ed. Reisk. lect. vulg. πότερον ἐξεῖναι δεῖ κ. τ. λ. *emend. in* πότερον ἐξεῖναι ἀεὶ κ. τ. λ.

PROOEMIUM.

Natus est Democritus Abderae [1]), Jonica Tejorum colonia [2]). Patrem, ut ajunt scriptores, vel Athenocritum, vel Hegesistratum, vel Damasippum babuit, fratres Damastum et Herodotum [3]). Quo vero anno sit natus, quando mortuus, de iis jam apud antiquos scriptores tot variaeque feruntur sententiae ut nihil certi sit statuendum, attamen secundum argumenta a Clintonio [4]) allata veritati proxime

[1]) Αβδηρίτης Aristot. de coelo III. 4. Meteor. II. 7.

[2]) Herodot I. 168. De Abderae historia exposuit C. Fr. Herrmann in ephemerid. scholast. a. 1830 No. 63 et 64.

[3]) Diogen. Laert. IX. 34. Aëlian var. histor. IV. 20. c. not. Perizon. Suidas s. v. Δημόκριτος. Pseudo-Origen. Philosoph. p. 891.

[4]) Clinton fast. Hellenic. ed. Krueger pp. 135, 45, 113, 123; ubi etiam aliorum sententiae recensentur. Democritus ipse dixit, se μικρὸν διάκοσμον composuisse anno post Trojam captam septingentesimo et tricesimo Diog. Laert. IX. 41. De aera Trojana cf Clinton. l.l. p. VII. et ad Ol. 80. 1.

accedere videtur eum natum esse Ol. 80. i. obiisse Ol. 105. 4.

Gente usus esse videtur Democritus et nobilitate et divitiis illustri, si quid tribuendum fabellis, quas de patre et haereditatis divisione alternis decantant scriptores [1]).

Magnam se vitae partem itineribus faciendis transegisse, ipse gloriatur, dicens apud Clem. Alex. p. 356. „ἐγὼ δὲ τῶν κατ᾽ ἐμαυτὸν ἀνθρώπων γῆν πλείστην επεπλανησάμην, ἱστορέων τὰ μήκιστα καὶ ἀέρας τε καὶ γέας πλείστας εἶδον; καὶ λογίων ἀνθρώπων πλείστων εἰςήκουσα καὶ γραμμέων συνθέσιος μετὰ ἀποδείξιος οὐδείς κώ με παρήλλαξεν, οὐδ᾽ οἱ Αἰγυπτίων καλεόμενοι Ἀρπεδόνακται, σὺν τοῖςδ᾽ ἐπὶ πᾶσιν ἐπ᾽ ἔτε᾽ ὀγδώκοντα ἐπὶ ξείνης ἐγενήθην."

[Locus brevem desiderat explicationem. λόγιοι sunt ii, qui Deorum, gentium et imprimis patriae historiam callent cf Herod. II. 3. c. not. Gronov. et Wesfeling ad Diodor II. 4. Ἀρπεδόνακται Aegyptiorum sapientes et sacerdotes esse videntur, de quibus egit Sturz de Dialecto Macedon. etc. p. 98. ed. nov. Numerus ὀγδώκοντα corruptus est, et medicina petenda ex Diodor. I. 98 ὑπολαμβάνουσι (οἱ Αιγύπτιοι) δὲ καὶ Δημόκριτον παρ᾽ αὐτοῖς ἔτη διατρίψαι πέντε καὶ πολλὰ διδαχθῆναι τῶν κατ᾽ ἀστρολογίαν. Quinquennii tempus probabilius est, et πέντε per compendium scriptum simillimum τῷ „ π′ = 80, quod substituit scriba. Inde πέντε restituendum esse censeo.]

---

[1]) Qui talia amat, adeat praeter scriptores supra not. 3. laudatos Valer. Maxim. VIII. 7. Huc spectant, quae de pecunia feruntur, quam profudit in itineribus cf. Athen. IV. 65. Dio Chrysost. orat. 54. et imprimis Philonis opera inedita ex Armen. ed. Aucher p. 52.

Quare laudibus effert pergerinatoris vitam: Stobaei Serm. XL. 6. Adde Theophrastum summis eum ob peregrinationes laudibus affecisse Ael. var. hist. IV. 20.

De terris populisque, quos vidit in antiquorum scriptis pauca tantum nobis sunt tradita, posterioris aetatis scriptores omnia confundunt et in nimium augent. Cum Aegyptiis, Indis, Babyloniis, Magis eum fuisse dicunt Diog. Laert., Suidas, Origenes, Aelianus, Clemens Alexand. ll. ll., quorum narrationibus inter se componendis cave ne operam et oleum perdas. Herodotum quin Democritus aequarit itinerum longitudine, nil impedit. In Aegyptum se contendisse, ipse dicit in fragmento supra laudato, et quos hujus itineris testes affert Diog. Laert. IX. 35, non sunt spernendi; eum etiam magnam Asiae partem peragrasse testatur Strabo XVI. (p. 703 ed. Paris. 1620) appellans eum πολλὴν τῆς Ἀσίας πεπλανημένον. Democritum etiam Babylone esse versatum, probare videntur librorum inscriptiones apud Diog. Laert. IX. 49 et Clement. Alex. p. 356. Quae itineribus faciendis didicerit ipse nos fragm. laud. edocet.

Itineribus peractis in patriam rediisse et a popularibus summis honoribus affectus esse fertur [cf. Suid. sv. Δημ. et Diog. Laert. IX. 39] nec non ab iisdem σοφίας vel secundum Aelian. v. h. IV. 20 φιλοσοφίας nomine est insignitus [cf Suid. l. l. et Perizon ad Aelian. l. l.]. Quae de ejus morte ab Athen. II. 46 Diog. Laert. IX. 43. Lucian Macrob. XVIII. (tom III. p. 221 ed. Reitz.) Lucret. III. 1052 traduntur, repetere longum est, sed non omnino re-

jiciendum videtur, eum sibi ipsum mortem conscivisse. Reliquas fabulas omitto.

Quae de studiis Democriti afferre possumus, magis conjectura, quam scriptorum testimoniis assequimur. Diogen .Laert. IX. 34 et omnes fere posterioris aetatis scriptores Leucippi eum et Anaxagorae discipulum faciunt, sed Aristot. Metaph. p. 15 et Simpl. ad Phys. fol. 7. majore usi cautione Λευκίππου ἑταῖρον et Origen. p. 891 Λευκ. γνώριμον eum appellant. Iis, quae Diogen. Laert., et eum excerpentes caeteri afferunt, quo magis hic de fonte judicare possumus, eo minor fides est habenda, Omnia enim ex Thrasyllo desumta videntur, qui, quanam ratione ductus, philosophorum scholas constituerit, eo declarat, quod Democritum Pythagorae ipsius discipulum facturus fuisset, nisi plane obstitisset temporum ratio [cf Diog. Laert. IX. 38; Num certiora sint, quae de ejus cum Pylhagoreis familiaritate ibidem narrantur, vix ausim affirmare.] Democritum sapientum Graecorum, qui ipsi aequales erant, societate non multum esse usum, inde apparet, quod jam inter antiquos scriptores ambigitur, num unquam Athenis fuerit, et caeterorum narrationibus comparatis recte statuisse videtur Demetrius Phalereus (Diog. Laert. IX. 37), eum nunquam Athenas venisse; secus etiam suspicandum foret, Platonem cum Socrate eum disputantem induxisse, notasse saltem clarius, uti reliquos, qui Socratis aetate sapientes fuerunt Athenis [1]). Certiora

[1]) Ipse quidem dixisse fertur: ἦλθον γὰρ εἰς Ἀθήνας καὶ οὔτις με ἔγνωκεν. Diog. Laert. IX. 36 et Valer. Maxim. VIII. 7. 4. Sed haec nimis suspectae sunt fidei.

non sunt, quae de Democriti et Hippocratis amicitia certatim proferunt Diog. L. IX. 42. Aelian, v. h. IV. 20. et literae utrique suppositae, cf Hippocrat. oper. ed. v. d. Linden tom II. p. 901 — 934. Attamen ea aetate, cum omnes Graeci commercii frequentia essent conjuncti, et cum clarissimi philosophi doctrinam jam literis mandassent, Democritus sine dubio plurima, quae caeteri invenerant, cognita habuit, fortasse etiam in itineribus quorundam Graecorum philosophorum consuetudine est usus, cum vix censendum sit, ex peregrinis tantum terris eum sapientiam petiisse.

Jonicorum physiologorum schola iis temporibus maxime languebat, Eleaticae vero doctrinae vel in ipsis philosophiae rationibus, quae ab ea discrepabant, vis fuit maxima. Principia, quae de rerum multitudine, generatione, interitu, et motu proferebant Xenophanes, Parmenides, etc., conclusionum nexu coacti omnes plus minus concedebant, sed ita, ut, quae inde deducebantur, licentiam magis, quam rationis constantiam secuti, ea non refutare, sed evitare, et imprimis sensuum perceptiones non item tollere studerent. Quae quidem ratio praecipue in ea conspicitur doctrina, quae atomis tamquam principiis utitur. Leucippus, qui hujus doctrinae ab omnibus traditur auctor, quantopere ex Eleatis pependerit, ostendit Simplic. ad Phys. fol. 7, et omnem, quam protulimus, sententiam probat Aristot. d. gener. et interit I. 8 qui, postquam Eleatarum doctrinam et quomodo sensuum perceptiones tolleret, exposuit, haec adjicit: Λεύκιππος δὲ ἔχειν ᾠήθη λόγους,

οἵτινες πρὸς τὴν αἴσθησιν ὁμολογούμενα λέγοντες οὐχ ἀναιρήσουσιν οὔτε γένεσιν οὔτε φθορὰν, οὔτε κίνησιν καὶ τὸ πλῆθος τῶν ὄντων. ὁμολογήσας δὲ ταῦτα μὲν τοῖς φαινομένοις, τοῖς δὲ τὸ ἓν κατασκευάζουσιν, ὡς οὔτε ἂν κίνησιν οὖσαν ἄνευ κενοῦ τό τε κενὸν μὴ ὄν, καὶ τοῦ ὄντος οὐθὲν μὴ ὄν φησιν εἶναι. In iis, quae sequuntur de atomis doctrinae initia tradit Aristoteles. Ea fuit igitur Leucippeae rationis indoles, ut sensuum perceptionibus quibus rerum multitudinem et motum cognoscimus, pro veris certisque habitis et inde profecta reliqua ad Eleatarum doctrinam conformaret.

Patet jam, quam arcte conjuncta sit de atomis doctrina cum Eleatica, quam naturalis haec sit successio, minimeque, ut hujus doctrinae origo explicetur, desiderari auxilium ab Oriente petitum [1]).

Leucippeae doctrinae principia accepit Democritus, acceptaque explicavit, novisque argumentis probavit [2]), et recte dixit Cicero: Acad. quaest. II. 37:

---

1) Primus hanc sententiam protulit Posidonius Stoicus, qui de atomis doctrinam in Mochum Phoënicem referebat cf Sext Empiric. adv. Mathem. IX. 363, Strabon. XVI. p. 757 et imprimis interpretes ad h. l. in Strab. translatione Franco-Gallica Paris. 1819. Stoici sententiam Cl. Ritterus hist. phil, I. p. 167 ss. ita refutat, ut nihil in medio relinquatur, et simul ostendit, quantum a veritate aberrent, qui Indicam hujus doctrinae originem profitentur. Haec philosophandi ratio, quo minus cum Deorum cultu, iisque omnibus, quae populi inter se communicant, pro sua ipsius natura conjuncta esse potest, eo magis ad gentem ipsam, ubi invenitur, pertinere videtur.

2) Eam quidem rationem inter hos viros intercedere, patet ex illis, quae ut Leucippi doctrinam affert Aristot. de gener. et int. I. 8. Sed fere nil certi de Leucippo constat. Tribuuntur illi scripta quaedam v. c. a schola Theo-

«Leucippus plenum et inane [esse dixit] Democritusque «huic in hoc similis uberior in caeteris.» Eum vero omnium priorum philosophorum rationem habuisse generaliter dicit Plutarch p. 1124 C., et de Anaxagora hoc affirmant Diog. L. IX. 34. 35. Sext. Emp. adv. Math. VII. 140, de Pythagora Diog. L. IX. 38. 46 de Eleatis, Parmenide et Zenone ibid. 42. de Protagora [qui ejus fuit discipulus Diog. L. IX. 50] idem dicunt Diog. L. IX. 42 Plutarch adv. Colot. p. 1108. F. Sext. Emp. adv. M. VII. 389.

Cum jam ad doctrinam suam statuendam id eum praecipue induxisset, ut eorum, quae sensibus percipimus, veritatem servaret, et cum omnem disciplinae rationem ad sensuum perceptiones referret, non mirandum ipsum imprimis in natura observanda esse versatum. Huc spectant, quae de animalibus, plantis, agricultura, corporibus coelestibus ab eo dicta feruntur [1]), ex quibus simul apparet etiam experi-

---

phrasti μέγας διάκοσμος (quem omnes caeteri Democriti esse dicunt Diog. L. IX. 46) et a Stobaeo eclog. physic. I. p. 160 liber περὶ νοῦ, de quo infra exponemus; sed (Aristot.) de Xenophan. etc. VI. dicit ἐν τοῖς Λευκίππου καλουμένοις λόγοις plane, uti de Orphicis τὰ καλούμενα Ὀρφικά. Adde, quae de Leucippo, eadem de Democrito praedicari, ita ut Arist. de gen. et int. I. 8. de iis dixerit: περὶ πάντων ἑνὶ λόγῳ διωρίκασι. Quare Cl. Rittero auctore (hist. phil. I. p. 560) de Leucippo separatim exponere omisi, et vel iis locis sum usus, ubi Leucippus solus nominatur, si magis conveniebant et aliunde constabat Democritum idem dixisse. At de differentia, si quaedam intercessisse videbatur, monui.

[1]) Quae, quidem, ut repetitionis taedium effugerem, reposui, donec de rebus singulis agerem.

mentis, si vulgarem vocis notionem sequimur, naturam eum tentasse, unde apud posterioris aetatis scriptores magicae artis famam reportavit. Plin. hist. nat. XXIV. 99. 102. Philostrat. vit. Apollon. I. 1; et scripta de arte magica ei supposita sunt; huc refero librum χειροκμήτων, unde fabulas suas de Democriti experimentis aniles depromsisse videtur Plinius et de quo fusius egit Menag ad Diog. Laert. IX. 49. Sed in naturae descriptione non unice eorum, quae vel experimentis, vel observatione invenerat, exili et jejuna enumeratione est defunctus, sed causas quaesivit, revocavitque ad philosophiae rationem. Quare Aristoteles multis eum laudibus prosequitur v. c. de gen. et int. I. 2 οὗτος δὲ (Δημ.) ἔοικε μὲν περὶ ἁπάντων φροντίσαι et paullo infra eum laudat tamquam οἰκείοις καὶ φυσικοῖς λόγοις πεπεισμένον, philosophos perstringens, qui dialectices arti nimium indulgent. Democ. primum de rebus naturalibus definitiones prodidisse dicit Metaph. p. 266 et Phys. II. 2. Sed haec non ita sunt intelligenda, tamquam totius naturae ad rationem revocatae systema quoddam Democritus jam animo conceptum habuisset, sed magis rebus ipsis, quam scientia eo deferebatur et: ἥψατο μὲν Δημ. πρῶτος [τοῦ ὁρισάσθαι τὴν ουσίαν] ὡς οὐκ ἀναγκαίου δὲ τῇ φυσικῇ θεωρίᾳ Arist. de part. anim. I. 1. Praeterea saepius eum reprehendit Aristoteles, quod rei cujusdam causam non reddiderit v. c. de respirat. IV. Inductione, quam vocant, eum esse imprimis usum, cum ex totius doctrinae natura patet tum Aristot. in ea adhibenda negligentiam ei objicit cf. de gener. anim. V. 8.

De opera et studiis, quae in Mathese posuisset, jam, ubi itinera jactavit, eum gloriatum vidimus; idque cum doctrina ipsa probatur, tum librorum, quos de Mathesi composuit, inscriptionibus Diog. L. 47. 48. Eum etiam subtilius de Matthesi cogitasse probant dubitationes, quas movit de coni sectione parallele ad basin facta. Plutarch p. 1079. E. Licet igitur aequalium facile πολυμαθέστατος esset, attamen, quanta sapientia de πολυμαθία judicaverit, sententiae ostendunt, quas Stobaeus servavit Sermon. IV. 83. XXXVI. 24. et eclog. eth. p. 72; quae quidem postrema sententia: μὴ πάντα ἐπίστασθαι προθύμεο, μὴ πάντων ἀμαθὴς γένῃ huc potius, quam ad mores referenda est cf. etiam Orelli opusc. graec. sentent. tom I. p. 102 fr. 60. c. not.

Democritus omnes artes et disciplinas, quae ea quidem aetate erant inventae, libris illustravit, scripsitque de morum disciplina, de physica, de mathesi, de astrologia, de Musica, de poesi et lingua, de arte bellica, de medicina, de pictura. Scripta in ordinem quendam redegit Thrasyllus, qui idem Platonis scripta per tetralogias disposuit cf. Diog. L. IX. 45, (locum explicavit: Rossi in comment. Laert. p. 203.). Thrasylli indicem servavit Diog. L. IX. 46 ss. Quem si accuratius examinatum cum iis contuleris. quae reliqui scriptores de ejus libris afferunt, facile elucet, alios esse suppositos [Gellius Noct. Att. X. 12], alios esse diversas ejusdem libri partes, plures in indice deficere, aut falso esse inscriptos. Totum indicem recensere, quod in consilio fuit, omisimus et testium inopia suspectaque fide et spatii angustiis adducti;

adde non multum inde utilitatis redundare, locosque scriptorum longe plurimos collegisse Meursium in biblioth. Graeca lib. III. s. v. Democritus Milesius (vol. III. p. 1263 ed. Florent.) Menag. ad Diog. Laert. IX. 46 ss. et Fabric. biblioth. Graec. tom II. p. 628 ed. Harles. Plura in doctrina ipsa afferemus, hic tamen de praestantissimo Democriti libro, qui doctrinae principia continuisse videtur, quaedam liceat monere a caeteris neglecta. Inter libros enim physicos eminet *μέγας διάκοσμος* [1]) cf. supra p. 14 not 2. Hic liber in quanto honore sit habitus, contendere videntur narrationes, quae de ejus recitatione feruntur apud Diog. L. IX. 39 Athen. IV. 19 etc. Nomen libri inde deductum videtur, quod Democritus plurima per corpusculorum ordinem et dispositionem effecit. *διάκοσμος* enim idem est ac dispositio cf. Salmasium ad Epictet. et Simplic. p. 168 ed. 1640. Cum hic liber, si quid caeterorum inscriptionibus tribuendum, unicus de rerum universitate egerit, nisi forte etiam *μικρὸς διάκοσμος*, ad eum referendum videtur exordium [2]) illud: „*λέγω τάδε περὶ τῶν ξυμπάντων.*“

---

[1]) Suidas s. v. *Δημ.* dicit; *μέγαν διάκοσμον καὶ τὸ περὶ φύσεως κόσμου* et epistolas unica esse scripta Democriti propria, sed haec nil valent cum caeterorum testimoniis comparata. Quod Tennemann hist. phil. I. p. 339 ed. Wendt conjecit, Suidam scripta tantum attulisse, quae sua aetate exstitissent, aegre statuendum, cum ad Suidae aetatem non pervenerint Democriti libri, quod infra demonstrabimus; Probabilius est, Suidam severiorem quendam criticum esse secutum.

[2]) Cicero; acad. quaest. II. 23: Quid loquar de Democrito? Quem cum eo conferre possumus non modo in-

Oratione soluta usum esse Democritum et scriptorum silentio et fragmentis probatur, in quibus metrorum ne vestiguim quidem invenies. Dialectus fuit patria, Ionica, quam fragmenta prae se ferunt, attamen etiam voces adhibuit insolitas, in quibus explicandis plures grammatici industriam posuerunt, ita ut Ἀβδηρίζοντος culpam sibi contraheret. Voces, quae ad doctrinam pertinent in singulis afferemus. Locutiones insolentes aucupans poeticum quid orationi immiscuit, cujus testis est Cicero dicens: eum ornate dixisse (de orat. I. 11), ab omni obscuritate alienum (de divinat. II. 64) et visum esse nonnullis Platonis et Democriti locutionem potius poema putandum, quam comicorum poetarum (Orat. XX.). Dionysius ipsum simul cum Platone et Aristotele optimis annumerat scriptoribus (de composit. verb. XXIV. p. 51 ed. Oxon.). Plutarch p. 682. E. eum δαιμονίως, inquit, καὶ μεγαλοπρεπῶς esse locutum et Pyrrho venustam suam dicendi rationem Democriti imitatione sibi vindicasse dicitur Euseb. P. E. p. 731 et huc etiam tendit Timonis carmen apud Diog. L. IX. 40. Posteriores vero scriptores ex Democriti luminibus ornatum sibi petentes materiam judicandi nobismet ipsis praebent. v. c. homines, qui mane surgunt, ap-

---

genii magnitudine, sed etiam animi? qui ita sit ausus ordiri: Haec loquor de universis; et Sext. Emp. a. M. VII. 265. Δημ. δὲ ὁ τῇ Διὸς φωνῇ παρεικαζόμενος καὶ λέγων τάδε περὶ τῶν ξυμπάντων. Tale exordium Democrito non in vitium superbiae esse vertendum ostendit Cl. Brandis mus. rhen. III. 1. p. 133. not. 74. De exordio alius libri: Τάδε λέγει Δημόκριτος cf. Clem. Alex. p. 356.

pellavit: νέα νέᾳ ἐφ' ἡμέρῃ φρονέοντας Plut. Sympos. III. p. 655 D. (locum emendavi coll. c. p. 722 D.) de illis, qui semper et de lana rixantur caprina, voce utitur ἔριν διαιτᾷν. Strabo I. p. 65 seu ἐριδαντέων καὶ ἱμαντολεκτέων nomine eos notat. Plut. p. 614. Clem. Alex. p. 328. de suibus dictum exstat: ἐπὶ φορυτῷ μαργαίνουσι Clem. Alex. p. 75. Sed verbis tam compositis elegantibusque etiam in rebus vilioribus est usus v. c. apud Plutarch p. 495. E. umbilicum vocat: ἀγκυρηβόλιον σάλου καὶ πλάνης ἐμφύεται πεῖσμα καὶ κλῆμα τῷ γενομένῳ καρπῷ καὶ μέλλοντι. Apellet quis haec paullo fusius disputata, sed idem perpendat velim, dictionem speculum esse ingenii clarissimum.

Democriti libros per totam antiquitatem tritos fuisse diversis grammaticorum studiis probatur, quae in illis explicandis ponebant [1]). Inter Callimachi libros (apud Suidam s. v. Καλλίμαχος) refertur: πίναξ τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν καὶ συνταγμάτων. Hegesianax in regione Troade natus περὶ τῆς Δημοκρίτου λέξεως scripsit cf. Stephan. Byzant. s. v. Τρωίας. Thrasyllus, quem Ionsius de script. hist. phil. p. 224 Tiberii temporibus vixisse conjicit, τὰ πρὸ τῆς ἀναγνώσεως τῶν Δημοκρίτου βιβλίων composuit (Diog. L. IX. 41), multique alii scriptores, quod ex Diogene compertum habemus, occasione data ejus mentionem fecerunt. Sed haec ad externa magis spectant; pro nostrae disputationis

[1]) Nihil ex his scriptis nobis est servatum, nisi forte, qui de Aristot. commentati sunt, et Suidas et Hesychius hinc voces depromserunt, quas Abderiticas afferunt. Attamen Grammaticorum de Dem. vocibus disputationem respicit: Jo. Philop. ad. d. anim. B. p. 14.

fine recensendi nobis sunt scriptores, qui de doctrina Democriti quaedam tradiderunt:

Plato nunquam Democriti nomen, vix praeceptum quoddam laudavit nisi forte in Sophist. p. 246 A. Theaet. p. 151 ss. et, quodminus certum, fortasse etiam in Cratylo. Quod quidem silentium veteres jam scriptores mirati in diversam partem explicarunt: v. c. Aristoxenus, Platonis timorem et malignitatem causam esse dixit (Diog. L. IX. 40). Recte Schleiermacher ad Sophist. l.l. (translat. Germ. tom. II. vol. 2 p. 492 ed. primae) rem ita explicasse videtur: Platonem a Democrito abhorruisse, quod Aristippus ejus de moribus doctrinam secutus puro scholae Socraticae splendori voluptatis maculam adspersisset. Praeterea Platonem sine dubio offendebat, Democritum universae doctrinae et gravitati et dignitati minus consulentem in singulis potius rebus explicandis esse versatum. Id ipsum vero conciliavit ei Aristotelis studium, qui saepissime ejus doctrinae rationem habuit, ita ut scriptis suis disputationis nostrae proderet initia. Magistri exemplum discipulos induxit, ut et ipsi Democrito operam navarent. Theophrastus (sec. Diog. L. V. 43 ss.) περὶ τῆς Δημοκρίτου ἀστρολογίας, et, περὶ Δημοκρίτου, libros conscripsit, fortasse etiam in libris περὶ εἰδώλων et περὶ διακόσμου de Democrito egit; eundem in operibus, quae de natura composuit, Democriti doctrinam saepissime respexisse, cum ex illis videmus, quae aetatem tulerunt, tum ex Simplic. v. c. ad d. coel. fol. 139 b. Idem de Eudemo Aristoteleo statuendum cf. Simpl. ad Phys. fol. 106 et 124. Postea cum Epi-

cureorum schola floreret, ob similitudinem, quae inter utramquae pbilosophiae rationem intercedebat, Democriti et doctrina est corrupta et scripta sunt neglecta [1]), scholae enim aequales tantum respiciebant, antiquiorum sapientum nulla fere ratione habita. Gravissima ergo quaestio oritur, quinam scriptores propriis Democriti libris sint usi, aut aliunde repetierint, quae tradunt. Plutarchus Democriteae orationis studiosus ipsumque adversus Epicureos, v. c. Colotem defendens propriis Democriti libris est usus, nec eclogariorium scrinia compilavit. Clementi Alexand. pro reliqua ejus incuria, qua antiquos scriptores adhibuit, etiam hic minor fides est habenda. Sextus Empiricus sine dubio etiam ex ipsis Democriti libris fragmenta petiit. Ad Simplicii aetatem vix pervenerunt libri, numquam enim ipsa Democriti verba laudat, et per commentarios non tam in ipsa doctrina exponenda versatur, quam in explicandis Aristotelis locis, imo libere profitetur, se de praecepto quodam Democriti accuratius judicare non posse, cum Aristoteles minus clare de eo exposuerit cf. Simpl. ad. d. anim. fol. 6. Joannis Sto-

---

[1]) Epicurus initio quidem Δημοκριτεῖον se professus est (Plutarch p. 1108 E., sed postea gravius de Democrito judicium tulit Diog. L. X. 8. Colotem Democriti scripta neglexisse, reprehendit Plutarch p. 1108. F. Philodemus Epicureus vero Democrit. appellat οὐ φυσιολογώτατον μόνον τῶν ἀρχαίων ἀλλὰ καὶ τῶν ἱστορουμένων. Volumin. Herculan. tom I. p. 135. Chrysippum Stoicum Democriti etiam rationem habuisse probat Plut. p. 1079. E.

baei libri, qui ad mores spectant, ab iis sunt distinguendi, qui de natura agunt. Libri, quos de natura composuerat Democritus, vix ad quintum saeculum pervenerunt, nec non, quae Stobaeus affert, hoc probant, cum non claris et apertis, sed verbis dicantur admodum dubiis; in illis vero major fides ei est habenda, cum Democriti de moribus libri vel longius aetatem tulisse videantur, vel jam ante Stobaeum plures sententiarum ejus moralium collectiones sint factae. Huc refero librum, qui inscriptus est: ὑποθῆκαι, unde idem fere fragmentum afferunt Eusebius et Stobaeus. Qui liber laudatur a Dionysio apud Euseb. P. E. p. 782.

DOCTRINA.

Unde melius disputationem nostram incipiemus quam ab iis, quae omnes tamquem doctrinae initia produnt, quaeque ex certissimo teste repetemus i. Arist. Metaph. p. 15. „Λεύκιππος δὲ καὶ ὁ ἑταῖρος αὐτοῦ „Δημ. στοιχεῖα μὲν τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενὸν εἶναί φασι, λέγον„τες τὸ μὲν ὄν τὸ δὲ μή ὄν, τούτων δὲ τὸ μὲν πλῆρες καί στε„ρεὸν τὸ ὄν, τὸ δὲ κενόν γε καὶ μανὸν τὸ μὴ ὄν· διὸ καὶ οὐ„θὲν μᾶλλον τὸ ὂν τοῦ μὴ ὄντος εἶναί φασιν, ὅτι οὐδὲ τὸ κενὸν τοῦ σώματος.“

De singulis principiis modo fusius agemus; jam reliquas propositionis partes illustrabimus. πλῆρες apellarunt ὄν τὸ κενὸν μή ὄν, hanc locutionem ab Eleatis sumentes, ita ut reconditum quid non lateret cf. Arist. d. gen. et int. I. 8. Locutionem οὐ μᾶλλον ἤ illustravit Fabric. ad Sext. Emp. Pyrrh. hypot. I. 213.

Pro singulari sua dictione ὄν appellavit Dem. δέν [1]), μὴ ὄν vero μηδέν cf. Plut. p. 1108. F.

De inani accurata licet Dem. definitio non sit tradita attamen gravissima nobis patent. Communem de inani opinionem: κενὸν εἶναι, ἐν ᾧ μηδέν ἐστι (Arist. Phys. IV. 7.) ita adhibuit Democritus ut inani imprimis suspenderet, materiam dividere, ne continua sit. Aristot. Phys. IV. 6.: „διάστημα ἕτερον τῶν σωμάτων ———— ὃ διαλαμβάνει τὸ πᾶν σῶμα, ὥστ' εἶναι μὴ συνεχὲς „καθάπερ λέγουσι Δημ. καὶ Λευκ." Cf. Simpl. ad h. l. fol. 152.

Inane est infinitum, materiam excedit magnitudine ita ut quodammodo aliud corpus in aliam sui partem receptum habeat uti dicit Simplic. ad Phys. fol. 144. 6. Jam Simplic. in hoc loco monuit, in infinito inani partes esse non distinguendas, et recte de Democrito dicit Cicero: In infinito inani nihil nec summum nec iufimum nec medium, nec ultimum, nec citimum est de finib. I. 6. cf. Simplic. ad de Coelo fol. 165. 6.

In argumentis, quibus inane esse probarunt, sensuum perceptiones pro certis habentes, iis veritatem adstruere studebant. Eleatis concesserunt, nec motum nec rerum multitudinem sine inani esse cogitandam, sed utrumque ipsi affirmantes etiam inane statuerunt. Eleatas dialectico more esse refutatos, ne vestigium

---

[1]) Apud Galenum de element. sec. Hippocrat. tom. I. p. 47. ed Frob. Dem. dicitur ὄν appellasse ἕν, sed hoc grammatici correctionem olet, cui minus trita fuit vocula δέν.

quidem cf. Aristot. d. gen. et int. I. 8. supra p. 13. descript. et J. Philop. ad h. l. fol. 35. b. Quae quidem secundum Aristotelem magis ad Leucippum pertinent, et tam simplicia sunt, quam pro doctrinae incunabulis. Democritus vero subtilius rem tractasse videtur, cum ad illum argumenta ab Arist. Phys. IV. 6. allata pertineant, quae quidem omnia eodem principio, corpora esse impenetrabilia, ut ajunt, nituntur, ita, ut singulorum recensionem omittere possimus.

Alterum principium est materia solida, quam πλῆρες [1]) vocavit, significaturus eam sui plenam nil vacui, quod non ens appellavit, in se continere; quod melius exprimit vox παμπλῆρες [2]), qua Aristot. utitur haec afferens: τό τε κενόν μὴ ὄν καὶ τοῦ ὄντος οὐθὲν μὴ ὄν

---

[1]) Theodoret p. 528. eos, qui hanc doctrinam professi sunt, ita distinguit, ut Democritus ναστά, Metrodorus ἀδιαίρετα, Epicurus denique ἄτομα dixerit. (cf. Stob. ecl. phys. l. p. 306.) Attamen jam apud Aristotelem ἄτομα de Democrit. corpusculis dicitur d. anim. I. 2. Ubi ἡ ἄτομος adhibetur, οὐσία est omissum, quod adjicit Plut. p. 1110. E. Aliud corporum primorum nomen est: ἰδέαι [Plut. p. 1110. F. et Pseudo-Clem. recognit. VIII. p. 110. ed Colon. 1570.] Quo nomine usus esse videtur Dem. imprimis figuras respiciens, quae in ipsa doctrina tanti sunt momenti. Hanc vocem convertens, cum vocis „ἰδέαι" virtus a Platone aliter esset definita, Aristot. corpuscula σχήματα appellavit et Phys. III. 4. voce πανσπερμία σχημάτων eadem ratione utitur, qua in aliis locis πανσπ. ἀτόμων cf. d. gen. et int. I. 2. Hinc etiam lux affertur libri περὶ ἰδεῶν inscriptioni, quae exstat apud Sext. Emp. a. M. VI. 135.

[2]) Vulgata lectio est παμπληθές, cui, cum Graecae linguae legibus repugnet, recte praetulisse videtur Brandis. (mus. rhen. III. 1. p. 135. not. 77.) alteram lectionem παμπλῆρες, quam J. Philop. affert.

φησιν εἶναι· τὸ γὰρ κυρίως ὂν παμπλῆρες ὄν. de gen. et int. I. 8.

In materia definienda dua imprimis spectasse videntur auctores, alterum, ut torpentem Electarum unitatem, quae sensuum perceptiones rerumque tollebat multitudinem, philisophiae ratione effugerent, alterum, ne Jonicorum philosophorum de materia et generatione doctrinam secuti, iterum ab Eleatis premerentur. Utrumque eos induxit, ut in ipso doctrinae limine principiorum multitudinem statuerent, eam ex unitate non deducentes. Quare dixerunt (quod Arist. l. l. adjicit) ἀλλ' εἶναι τὸ τοιοῦτον οὐχ ἕν, ἀλλ' ἄπειρα τὸ πλῆθος — ἐκ δὲ τοῦ κατ' ἀλήθειαν ἑνὸς οὐκ ἂν γενέσθαι πλῆθος οὐδ' ἐκ τῶν ἀληθῶς πολλῶν ἕν, ἀλλ' εἶναι τοῦτ' ἀδύνατον· cf. Arist. d. coel. III. 4.

Argumentum magis dialecticum, quod Arist. de gen. et int. I. 2. affert, etiam ad Democritum pertinere videtur, cardoque ejus in eo vertitur, quod, si corpus in infinitum esset dividendum, corporis magnitudo iis ipsis efficeretur, quae magnitudine carerent, et inde conjecit, tamquam rerum principia esse ponenda corpuscula indivisa sive atomos. Causas vero, cur atomi sint indivisae, affert Simpl. ad Phys. fol. 216: ὁ Λεύκιππος μὲν και ὁ Δημοκρ. οὐ μόνον τὴν ἀπάθειαν [1]) αἰτίαν τοῖς πρώτοις σώμασι τοῦ μὴ διαιρεῖσθαι νομίζουσιν, ἀλλα καὶ τὸ σμικρὸν καὶ ἀμερές. Ἐπίκουρος δὲ ὕστερον ἀμερῆ μὲν οὐχ ἡγεῖται, ἄτομα δε αὐτὰ διὰ τὴν ἀπάθειαν εἶναί φησι.

---

[1]) Hoc non ita est intelligendum, tamquam atomi nihil plane possent pati, quippe quae v. c. se invicem ferientes moventur, sed illud Dem. dicit, atomos mutationem non recipere.

(Posterioribus Simplic. suam ipsius sententiam refutat, quam falsam affert ad Phys. fol. 18, Dem. atomis partes tribuisse cf. Simpl. ad. d. coel. fol. 56. b.)

Atomos non genitas esse cum ex eo apparet, quod omnium sunt principia et ἀπαθεῖς, tum etiam huc pertinere videtur Democr. argumentum, non omnia esse genita, tempus enim esse aeternum. Aristot. Phys. VIII. 1. [1]).

Atomi perparvae sunt eaque ex causa non sensibus sed mente et ratione sola concipiendae (ἀόρατα διὰ σμικρότητα τῶν ὄγκων Arist. de gen. et int. I. 8. λόγῳ θεωρητά Euseb. P. E. p. 749. A. et Stob. ecl. phys. p. 796.) Attamen inter se magnitudine differunt [Arist. Phys. III. 4. et Simplic. ad h. l. fol. 106. b. Plut. d. pl. phil. I. 3.]. Huc etiam referendum vide-

---

[1]) Locus est; Δημοκρ. δεικνυσιν, ὡς ἀδύνατον ἅπαντα γεγονέναι, τὸν γὰρ χρόνον ἀγέννητον εἶναι. Occasione data jam quaestio oritur, quid Dem. de tempore censuerit: In illam de temporis aeternitate sententiam non quadrat, quod Sext. Emp. X. 181.: secundum Epicurum et Democ. tempus ἡμεροειδὲς καὶ νυκτοειδὲς φάντασμα fuisse dicit. Difficultatis tollendae ansam praebere videtur, quod in codicibus nomina propria saepissime per compendia scribuntur v. c. in cod. Monac. No. 159, qui est melioris notae Sext. Emp. X. 42. Δημ. scriptum legi pro Δημήτριος. In nostro loco tale scribendi compendium minus feliciter expletum videtur. Restituendum igitur esse Demetrii nomen, probabile est, quippe qui celeberrimus Epicuri fuit sectator [cf. de eo Sext. Emp. X. 219. VIII. 348. et Fabr. ad Pyrrh. hyp. III. 137.]. Attamen Aristotelem excutienti mihi non alia occurit de tempore sententia, quae ad Democritum pertinere possit, ac ea, quam auctore non addito Arist. Phys. IV. 10. affert, tempus esse motum; nisi forte praeferendum, Democritum nil accuratius de hac re statuisse.

tur, quod a pluribus scriptoribus, v. c. Aristot. d. an. I. 2. traditur, Democritum atomos comparasse cum ramentis, quae in solis radiis per fenestras incidentibus apparerent, nec habeo, quod objiciam Jo. Philopon ad. Ar. de gen. et int. fol. 9. b. dicenti; Democritum hac comparatione demonstrare voluisse, etiam alia, quae esse non negaremus, interdum ab parvitatem non cerni [1]).

Atomos numero esse infinitas statuerunt, ne umquam materies generandi deficeret, et ut facile omnium, quae fierent, redderent rationem, de quo gloriati sunt doctrinae auctores cf. Simpl. ad Phys. fol. 7. et Aristot. d. coel. III. 4. *ἐπεὶ διαφέρει τὰ σώματα σχήμασιν, ἄπειρα δὲ τὰ σχήματα, ἄπειρα καὶ τὰ ἁπλᾶ σώματά φασιν εἶναι.*

De atomorum substantia, quam statuerunt Dem. et Leuc., est praemonendum, eo imprimis ductos esse doctrinae auctores, ut rerum generationem et, quomodo singula fierent, accuratius explicarent cf. Theophrast. apud Simpl. ad. d. coel. fol. 139. b. Plutarch. p. 948. C. — Rationis exordium inde sumsere, unde Anaxagoras erat profectus: Omnia, et imprimis illa, quae priores philosophi posuissent rerum elementa et principia, ignem, aera, aquam, terram in se invi-

---

[1]) Quod Eusebius P. E. p. 773. dicit: ὁ δὲ Δημοκρ. *μεγίστας εἶναί τινας ἀτόμους ὑπέλαβεν*, difficultatem movere non potest, cum hoc sit Epicuri decretum et Democriti nomen, ad quem priora pertinent, alieno loco sit insertum. Stobaei ecl. phys. p. 348. de Democ. dictum: *δυνατὸν δ' εἶναι κοσμιαίαν ὑπάρχειν ἄτομον*, non habeo, quo referam, ad Epicurum potius pertinere videtur.

cem mutari. At, sicuti Anaxagores inde effecit, omnia omnibus inesse, ita Leuc. et Dem. qualitatum differentia sublata, omnibus unum subesse, conjecerunt. Sententiam nostram probat Simpl. ad Phys. fol. 8. ὁρῶντες εἰς ἄλληλα μεταβάλλοντα τὸ πῦρ καὶ τὸν ἀέρα καὶ τὸ ὕδωρ, ἴσως δὲ καὶ τὴν γῆν, ἀρχοειδέστερά τινα τούτων καὶ ἁπλούστερα ἐζήτουν αἴτια, δι' ὧν καὶ τὴν κατὰ τὰς ποιότητας τῶν στοιχείων τούτων ἀπολογίσονται διαφοράν.

Atomis igitur numero infinitis unum idemque substantiae genus assignarunt, quod certatim docent scriptores; ut praestantissimum afferam:

Aristot. d. coel. I. 7: τὴν δὲ φύσιν εἶναί φασιν αὐτῶν μίαν, ὥςπερ ἂν εἰ χρυσὸς ἕκαστον εἴη κεχωρισμένον cf. Simpl. ad Ph. fol. 35. 6.

Ita simul objectiones effugerunt, quibus Eleatae diversas principiorum qualitates oppugnarant.

Huc tendunt etiam, quae praecepit Democritus, ea tantum, quae ejusdem essent generis, in se invicem agere posse, quod nos docet Arist. d. gen. et int. I. 7. dicens:

„Δημόκριτος δὲ παρὰ τοὺς ἄλλους ἔλεξε μόνος ἰδίως· φησὶ
„γὰρ τὸ αὐτὸ καὶ ὅμοιον εἶναι τό τε ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον.
„οὐ γὰρ ἐγχωρεῖν τὰ ἕτερα καὶ διαφέροντα πάσχειν ὑπ' ἀλλή-
„λων· ἀλλὰ κἂν ἕτερα ὄντα ποιῇ εἰς ἄλληλα, οὐχ ᾗ ἕτερα,
„ἀλλ' ᾗ ταὐτόν τι ὑπάρχει, ταύτῃ τοῦτο συμβαίνειν αὐτοῖς."

Ut vero rerum varietas ex materia unius substantiae posset oriri, tres formae differentias statuit:

Τὸ μὲν γὰρ ὑποκείμενον σῶμα τὴν ὕλην ἓν καὶ ταὐτόν, διαφέρειν δὲ ἢ ῥυσμῷ, ὅ ἐστι σχῆμα ἢ τροπῇ, ὅ ἐστι θέσις, ἢ διαθιγῇ, ὅ ἐστι τάξις. Aristot. Metaph. p. 166, quam sententiam exemplis illustrat. Metaph. p. 15: διαφέρει τὸ μὲν Α τοῦ Ν σχήματι, τὸ δὲ ΑΝ τοῦ ΝΑ τάξει, τὸ δὲ Ζ

τοῦ Ν θέσει, et Phys. I. 5. θέσεως ἄνω κάτω, πρόσθεν ὄπισθεν, σχήματος γωνία, εὐθὺ, περιφερές. (lectio est Becker. a vulgata admodum diversa.)

Haec tria differentiarum genera alias continebant, ut reliquas priorum modis et gradibus generari vix sit dubitandum; ita enim explicare mihi videor, quae de figuris traduntur secundum Democritum infinitis. Infinitas vero atomorum figuras posuit, et, ut sensuum sufficerent perceptionibus, quae quidem infinitas rerum formas nobis praebent, et quod res infinitis modis esse possent semperque generarentur et mutarentur: Quod probat

Aristot. d. gen. et int. I. 2. ἐπεὶ δ' ᾤοντο τἀληθὲς ἐν τῷ φαίνεσθαι, ἐναντία δὲ καὶ ἄπειρα τὰ φαινόμενα, τὰ σχήματα ἄπειρα ἐποίησαν, et Simpl. ad Phys. fol. 7. καὶ τῶν ἐν τοῖς ἀτόμοις σχημάτων ἄπειρον τὸ πλῆθός φασι διὰ τὸ μηδὲν μᾶλλον τοιοῦτον ἢ τοιοῦτον εἶναι· ταύτην καὶ γένεσιν καὶ μεταβολὴν ἀδιάλειπτον ἐν τοῖς οὖσι θεωροῦντες. Ad h. l. pertinent etiam, quae Colotes Democrito objecit. [Plutarch p. 1108. F.]

Praeter magnitudinem et figuram, etiam pondus atomis tribuit. Ita enim facile conjicies ex Arist. d. gen. et int. I. 8. καί τοι βαρύτερόν γε κατὰ τὴν ὑπεροχήν φησιν εἶναι Δημ. ἕκαστον τῶν ἀδιαιρέτων (ὑπεροχήν de magnitudine dictum esse, demonstrabimus infra, ubi de pondere fusius exponemus). Cum haec minus clare docuisset Democritus, Epicurus vero multum jactasset, quod tanti momenti in ejus doctrina erat atomorum pondus et gravitas, inde natum videntur, quae plures dicunt scriptores, Democritum atomis pondus non assignasse, idque primum fecisse

Epicurum; ita tradunt Stob. ecl. phys. p. 348 et Alexand. Aphrod. ad Metaph. p. 14.

De atomorum motu ejusque principiis, quo magis ambigunt omnes scriptores, eo majore cautione et cura haec sunt exploranda, ne confusionis culpam nobis contrahamus: Duo motus principia sunt distinguenda, alterum, quod motuum universitatem efficit eique praeest, alterum, quod elementis singulis inest, quodquè magis ad rationem, qua res quaeque moveantur, pertinet. De utroque minus accurate exposuisse Democritum, saepius reprehendit Aristot. v. c. Metaph. p. 15. — De priore motus principio nobis traditur, Democritum ἀνάγκην posuisse [Diog. L. IX. 44. Sext. Emp. ad. M. IX. 113.] Re vero accuratius perpensa Democriti sententia mirum quantum ab ea distat, quam de necessitate caeteri professi sunt philosophi. Democriti enim ἀνάγκη non sublime illud Heracliti principium fuit, quod tamquam circumscriptus mundi ordo naturam excedens eam movet et regnat, cujusque majestas obscuritate sancta quadam circumfusa augetur cf. Schleiermacher Heraclit p. 423 ss. Democritus vero ultra ea, quae sensibus percipimus, non processit, ejusque principium nihil fuit nisi mere physicum: Diog. L. IX. 44. πάντα τε κατ' ἀνάγκην γίγνεσθαι τῆς δινῆς αἰτίας οὔσης τῆς γενέσεως πάντων, ἣν ἀνάγκην λέγει [1]) cf. Sext. Emp. ll. ll. Necessitas igitur eadem fuit ac vibratio et vertigo, attamen

---

[1]) Idem d. phil. I. 26. Δημοκρ. τὴν ἀντιτυπίαν καὶ πληγὴν τῆς ὕλης [ἀνάγκην λέγει]. ibid. 25. res minus clare est expressa, ita ut nil inde effice possit.

ea ipsa altiore quodam principio firmanda fuisset, et recte Simpl. ad Ph. fol. 310 eum iis annumerat, qui ποιητικοῦ μὴ μνησθέντες αἰτίου, ἐπὶ δὲ κινήσεως λέγουσιν, nec minus bene Cicero d. fin. I. 6. „Eumque motum atomorum nullo a principio, sed ex aeterno tempore intelligi convenire."

Cum igitur vibrationis motui, qui per totam naturam viget, nullum praefecerit principium, quod eum temperaret legibusque circumscriberet, inde patet, cur Democritus tamquam rationem cujuscunque rei ultimam attulerit, rem semper ita fieri, et motus causam quaerere idem esse dixerit, ac ultra infinitum procedere velle. Cf. Aristot. Phys. VIII. 1. d. gen. anim. II. 6. V. 8. Notiones ita tolli, quas nostri philosophi teleologicas [sit venia dictioni] vocant, vix est, quod moneamus.

Praeterea Democritus naturam et ea, quae sensibus percipimus, semper presso pede secutus plurimum abhorrere debuit ab iis, quae naturam turbarent, eaque ex causa in singulis rebus casum et fortunam rejecit, appellans eam fictam ab hominibus imaginem, quam propriae praetenderent imprudentiae. Illud probat Simpl. ad Phys. fol. 74: ἐν τοῖς μερικωτέροις οὐδενός φησι τὴν τύχην αἰτίαν, ἀναφέρων εἰς ἄλλας αἰτίας [1]. De fortuna ipsa Democriti verba nobis servata videntur. Euseb. P. E. p. 782: τῶν γοῦν ὑποθηκῶν ἀρχόμενος λέγει· ἄνθρωποι τύχης εἴδωλον ἐπλάσαντο

[1]) Quaenam haec causae fuerunt ex iis, quae sequuntur apparet. Dem. tamquam causas ea statuit, quae immediate praecedentia videmus v. c. si quis in fodiendo thesaurum invent, eo retulit causam non ad fortunam.

πρόφασιν ἰδίης ἀνοίης· φύσει γὰρ γνώμη τύχη μάχεται. καὶ τὴν ἐχϑίστην τῇ φρονήσει ταύτην αὐτὴν ἔφασαν κρατεῖν· μᾶλλον δὲ καὶ ταύτην ἄρδην ἀναιροῦντες καὶ ἀφανίζοντες, ἐκείνην ἀντικαϑιστᾶσιν αὐτῆς· οὐ γὰρ εὐτυχῆ τὴν φρόνησιν, ἀλλ' ἐμφρονεστάτην ὑμνοῦσι τὴν τύχην. et Stob. ecl. eth. p. 344. τύχης εἴδωλον ἐπλάσαντο πρόφασιν ἰδίης ἀβουλίης· βαιὰ γὰρ φρονήσει τύχη μάχεται, τὰ δὲ πλεῖστα ἐν βίῳ ψυχὴ εὐσύνετος ὀξυδερκέειν κατιϑύνει. cf. Theodoret. p. 562.

Nec tamen falsum quid prodidit Aristot. Phys. II. 4. Democritum, quem respicit secundum Simplicium, iis annumerans, qui, cum fortuna motum, qui omnia discerneret et in hunc ordinem constitueret, fieri dicerent, etiam coelum et totum mundum ad fortunam referrent; ad suas enim notiones Democriti sententiam exegit Stagirites. — Statuit igitur Democritus causarum et effectuum, qui se invicem exciperent, infinitam seriem et nexum, quem altiore quodam principio non suspendebat.

Ut disputationem nostram absolvamus, nihil restat, nisi ut paucis exponamus de Stob. ecl. phys. p. 160.

Λεύκιππος πάντα κατ' ἀνάγκην, τὴν δ' αὐτὴν ὑπάρχειν εἱμαρμένην. λέγει γὰρ εν τῷ περὶ νοῦ: οὐδὲν χρῆμα ματὴν γίγνεται, αλλὰ πάντα ἐκ λόγου τε καὶ υπ' ἀνάγκης.

Fragmentum hoc ex propriis Leucippi scriptis depromtum esse, vix crediderit quisquam cf. supra p. 14. not. 2; accedit, quod Democrito (Diog. L. IX. 46) liber περὶ νοῦ tribuitur, tamquam de natura exponens; quare qnaedam corrupta et sententia ad Democritum pertinere videtur. Dein, quod novum addas argumentum, ex iis, quae de Leucippo feruntur,

apparet, eum nunquam accuratius de re aliqua esse locutum — de necessitate claris hoc verbis praedicant Origen. Philos. p. 891 et Diog. L. IX. 33 —, quod in nostrum locum non convenit. Quare Democriti hoc esse fragmentum, probabile est. Sententiae vero, quam supra de necessitate exposuimus, minime obstat, nec est, cur uti Tennemann. (hist. phil. I. p. 332 ed. Wendt.) sublimioris quid sapientiae plenum subesse suspicemur; μάτην sonat: temere sine causa, et hac locutione fortunam rejicit et casum; ἐκ λόγου, quod Tennem. ll. fecit, ad mentem minime est referendum, Democritum enim mentem non adhibuisse, ex iis apparebit, quae de mundi generatione sumus explicaturi, et, si de mente sermo est, Graecorum philosophi antiqui non voce, „λόγος", sed „νοῦς" utuntur. λόγος potius significat naturae vel rerum rationem, quod probavit Schleiermacher. Heracl. p. 423 ss.; posterior igitur fragmenti pars optime iis consentit, Democritum omnia ad naturam retulisse.

Postquam de motu universo exposuimus, de singulari motu, quae praeceperit Democritus, nobis sunt exploranda. Epicurus in atomorum pondere motus naturalis principium posuit, Democritus vero natura sua immotas esse dixit atomos, ipsisque violentum nonnisi assignavit motum eumque sempiternum, ita ut non motu cierentur interno, sed pulsu externo agitarentur. Testes nobis sunt:

Simpl. ad Ph. fol. 96. Δημ. φύσει ἀκίνητα λέγων τὸ ἄτομα πληγῇ κινεῖσθαί φησιν et Aristot. d. coel. III. 2: Λευκ. κ. Δημ. τοῖς λέγουσιν ἀεὶ κινεῖσθαι τὰ πρῶτα σώματα ἐν τῷ κενῷ καὶ τῷ ἀπείρῳ.

Moveri igitur atomos inquit per vibrationem et vertiginem [κατὰ πάλμον [1]) Stob. ecl. phys. p. 394 διὰ τὴν δίνησιν. Arist. d. coel. II. 13, se invicem impellentes et ferientes, κατ' ἀλληλοτυπίαν Stob. l. l. p. 348, alternis ictibus et impulsibus, Alex. Aphrod. ad Metaph. p. 14] [2]). In quantas repugnantiarum angustias inciderit Democritus, non omittens Aristoteles vehementer eum perstringit, quod, cum motum induxerit violentum, de naturali, cui alter repugnaret, nihil attulerit cf. d. coel. III. 2. De diversis motus rationibus nil nobis est traditum, sed facile conjiciendum, figuris eas et inani generari. De motu, quo res sursum vel deorsum feruntur quaedam nobis servavit Aristot. d. Coel. IV. 6., qui locus ostendit, eum rerum, quae sursum ferrentur, motum σοῦν appellasse, et quomodo figuris sit usus: corpusculis enim calidis ex aqua exsurgentibus corpora, quae latam haberent figuram, sustineri eaque ex causa ferri laminam super aqua natare dixit; angusta vero ex ejus sententia decidunt, cum pauca sint, quae ipsis repugnent. Calida illa corpuscula, quae ex aqua surgunt, idem versus moventur, sed ea, quae ex aere nascuntur, in diversas abeunt partes, nec multum ad sustinenda corpora valent, quare plurima corpora per aera decidunt. — Quid de illis sit censendum, qui

[1]) De pl. phil. I. 23 exstat κατὰ πλάγιον, sed Stobaei lectio praeferenda, quam firmat Simpl. ad Phys. fol. 310 περιπαλαίσεσθαι τὰ ἄτομα dicens.

[2]) Simplic. dicens. ad Phys. fol. 310. καὶ ἔλεγον (οἱ περὶ Δημ.) κατὰ τὴν ἐν αὐτοῖς βαρύτητα κινούμενα ταῦτα (τὰ ἄτομα), Epicureorum praecepto est deceptus.

Epicuri rationem, et, quae ex suis notionibus de Democrito judicat Arist. d. coel. I. 7; ea in animo semper habentes Democriti atomos idem versus moveri dicunt, ex iis, quae exposuimus, patet.

Rebus generandis materiam praebent atomi et inane, caetera atomorum differentiis fiunt: Aristot. Metaph. p. 15.

Generandi rationem caecam statuit et mechanicam, quam vocant. Eleatarum objectiones, rem generari non posse, evitaturus omni vera generatione sublata ad motum eam revocavit. Generationem conjunctione, interitum distractione, mutationem vero mutato ordine et situ effecit: Aristot. d. gen. et int. I. 2.

Λευκ. καὶ Δημ. ———— διακρίσει μὲν καὶ συγκρίσει γένεσιν (ποιοῦσι) καὶ φθοράν, τάξει δὲ καὶ θέσει ἀλλοίωσιν· ἐπεὶ δ' ᾤοντο τἀληθὲς ἐν τῷ φαίνεσθαι, ἐναντία δὲ καὶ ἄπειρα τὰ φαινόμενα, τὰ σχήματα ἄπειρα ἐποίησαν, ὥς τε ταῖς μεταβολαῖς τοῦ συγκειμένου τὸ αὐτὸ ἐναντίον δοκεῖν ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ, καὶ μετακινεῖσθαι μικροῦ ἐμμιγνυμένου καὶ ὅλως ἕτερον φαίνεσθαι ἑνὸς μετακινηθέντος· ἐκ τῶν αὐτῶν γὰρ τραγῳδία καὶ κωμῳδία γραμμάτων. Adde Simpl. ad Categ. ed. Aldin. Φ. β. καὶ γὰρ τὰ ἀλλοιούμενα κατὰ τόπον ἡγεῖτο κινεῖσθαι, λανθάνειν δὲ ἐν τῷ μὴ ὅλα τὰ μέρη τόπον ἀμείβειν, ἀλλά τινα ἀφανῆ ἡμῖν ὄντα cf. Arist. d. coel. III. 7. (Mixtio fit κατὰ παράθεσιν d. pl. phil. I. 17. Alex. Aphrod. περὶ μίξεως.)

Quare de hoc principio cum omnibus physiologis consentiebat: μηδὲν ἐκ μὴ ὄντος γίνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι. Diog. Laert. IX. 44 Arist. Phys. I. 4. Alex. Aphrod. ad Metaph. p. 109, et huc pertinet illud: τὸ κενὸν καὶ τὸ πλῆρες ὁμοίως καθ' ὁτιοῦν ὑπάρχειν

μέρος. Arist. Metaph, p. 76. Atomi igitur omnium semina sunt et inde nomen „πανσπερμίαν“ receperunt. (Simpl. ad. Arist. d. anim. fol. 6 πανσπερμίαν αὐτὰ προςαγορεύει ὡς πάντων σπέρματα.) Inde efficitur hoc Democ. dictum: ἦν ἡμῖν πάντα δυνάμει, ἐνεργείᾳ δ' οὔ. Arist. Metaph. p. 241.

Generationem per conjunctionem fieri, jam supra dictum, similia vero sola conjunguntur secundum Democritum, eo principio ad omnia extenso, ut ita simul ejus veritas per inductionem probaretur: Sext. Empir. adv. Math. VII. §. 116: καὶ γὰρ ζῶα, φησὶν (Δημ.), ὁμογένεσι ζώοις συναγελάζεται, ὡς περιστεραὶ περιστεραῖς καὶ γέρανοι γεράνοις καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἀλόγων· ὡςαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀψύχων, καθάπερ ὁρᾷν πάρεστι ἐπί τε τῶν κοσκινευομένων σπερμάτων καὶ ἐπὶ τῶν παρὰ ταῖς κυματωγαῖς [1]) ψηφίδων· ὅπου μὲν γὰρ κατὰ τὸν κοσκίνου δῖνον διακριτικῶς φακοὶ μετὰ φακῶν τάσσονται καὶ κριθαὶ μετὰ κριθῶν καὶ πυροὶ μετὰ πυρῶν· ὅπου δὲ κατὰ τὴν τοῦ κύματος κίνησιν, αἱ μὲν ἐπιμήκεις ψηφίδες εἰς τὸν αὐτὸν τόπον ταῖς ἐπιμήκεσιν ὠθοῦνται· αἱ δὲ περιφερεῖς ταῖς περιφερέσιν, ὡς ἂν συναγωγόν τι ἐχούσης τῶν πραγμάτων τῆς ἐν τούτοις ὁμοιότητος. et brevius Simpl. ad. Phys. fol. 7. πεφυκέναι γὰρ τὸ ὅμοιον ὑπὸ τοῦ ὁμοίου κινεῖσθαι καὶ φέρεσθαι τὰ συγγενῆ πρὸς ἄλληλα. Sexti Emp. locus paullo mutatus invenitur etiam apud (Plut.) d. pl. phil. IV. 19.

Atomi, quae corpus constituunt, non veram efficiunt unitatem, sed tactu solum continuae sunt. Simpl. ad Phys. fol. 105. b. ἀφῇ συνεχιζόμενα ἀλλ' οὐχὶ τῇ

---

[1]) Inter varias, quas praebent codices, lectiones κυματωγαῖς propriam esse, demonstravit Graevius ad Luciani Hermot. LXXXIV. (tom. I. p. 828. ed. Reitz).

ἑνώσει. et Arist. Metaph. p. 157 ἀδύνατον γὰρ εἶναί φησιν (Δημ.) ἐκ δύο ἓν ἢ ἐξ ἑνὸς δύο γενέσθαι. Corpus ita ortum Abderitica voce „ἐπάλλαξιν" nominavit. Simpl. ad Arist. d. Coel. fol. 157; et hinc fortasse in Arist. d. coel. III. 6. ἀλλὰ τῇ τούτων (ἀτόμων) συμπλοκῇ καὶ περιπλέξει πάντα γεννᾶσθαι pro περιπλέξει restituendum est ἐπαλλάξει, quod tres codices Becker. praebent.

Res vero nihil patiuntur nisi per inane; ita quidem corpora dissolvuntur, et, inani aliis atomis expleto, augentur. Aristot. d. gen. etint I. 8, et paullo infra adjicit, Λευκίππῳ μὲν δύο τρόποι ἂν εἶεν, διά τε τοῦ κενοῦ καὶ διὰ τῆς ἀφῆς. (ἀφῆς eo refero, cum v. c. corpus ita feriat alterum, ut frangatur.)

Haec de generatione generaliter sunt dicta, mundi ipsius generationis initium nobis explicat proprium, ut videtur, Democriti fragmentum:

δεῖν ἀπὸ παντὸς ἀποκρίνεσθαι παντοίων εἰδέων. Simpl. ad Phys. fol. 73. b.

Hoc fragmentum, ut in limine ponerem, haec me induxerunt, et, quod Simplicius in eo desiderat principum ultimum, secus alio in loco ipsi quaerendum, et, quod fragmenti sententia huic loco soli convenit. δεῖν propriam esse lectionem vix credendum, sed, quod certum substituam, conjectura assecutus non sum. εἰδέων idem esse videtur ac ἰδεῶν, quod est nomen atomorum a figuris deductum, cf. supra p. 25 not. 1. Sententia igitur est: ab atomorum variarum universitate sejungendas esse quasdam. παντός complexum atomorum significare videtur, nec rejiciendum est: τοῦ παντ., quam lectionem exemplaris sui mar-

gini adscripsit Victorius. Vix statuendum videtur, Democritnm atomorum alteram ab altera ita separatam finxisse, uti Epicurum; et huc refero Arist. Phys. III. 4. ὁ δ' (Δημ) ἐκ τῆς πανσπερμίας τῶν σχημάτων τῇ ἁφῇ συνεχὲς τὸ ἄπειρον εἶναί φησιν. Ita quidem παντός explicandum videtur, et sententiam nostram probant, quae confusa licet de mundi generatione secundum Leucippum tradit Diog. L. IX. 31 φέρεσθαι κατ' ἀποτομὴν ἐκ τῆς ἀπείρου πολλὰ σώματα παντοῖα τοῖς σχήμασιν εἰς μέγα κενόν. et similiter Origen. Philos. p. 891. Sed minime hinc efficere volo, atomos initio ita conjunctas fuisse, veluti Ionicorum physiologorum materiam, imo tactu tantum erant continuae, et inane per eas erat diffusum [Arist. d. coel. I. 7 διωρισμένα τῷ κενῷ]. Medium tenuisse videtur Democritus inter Ionicos physiologos et Epicurum.

Atomi, quae mundum sunt constituturae, agitatae dissimilia ejiciunt, similia secum conjungunt, et leviora extrudunt, donec, ponderibus suis librantur, et diversa atomorum systemata ita exorta mundi sunt partes. [Haec subesse videntur iis, quae de generatione mundi secundum Leucippi doctrinam prodit Diog. L. IX. 31 ss.]

Cunctae mundi partes in unitatem quandam ita conjunguntur, ut pelle sint circumdatae. Quae quidem pellis secundum Diog. L. (IX .31. 32) ex atomis levibus, quae agitatione sunt ejectae, composita videtur; hamatas eas atomos dicit Stob. ecl. phys. p. 490.

Figura mundi rotunda est (σφαιροειδής): Diog. L. IX. 31 et Stob. ecl. phys. p. 356.

Infiniti sunt mundi, alii oriuntur, alii intereunt, aeternus est generationis motus [1]).

Aristot. Phys. VIII. 1 ἀλλ' ὁπόσοι μὲν ἀπείρους κόσμους τε εἶναί φασι καὶ τοὺς μὲν γίγνεσθαι, τοὺς δὲ φθείρεσθαι τῶν κόσμων, ἀεί φασιν εἶναι κίνησιν, quod Simpl. fol. 257 jure refert ad Leucippum et Democritum.

Mundi vero non ita solum sunt infiniti, ut per aeternum tempus alter alteri succedat, sed etiam innumerabiles una sunt mundi; et, cum mundorum generatio non certis quibusdem legibus esset definita, non mirandum, quosdam inter se non solum similes esse, sed undique perfecte et absolute ita pares, ut inter eos nihil prorfus intersit (Cicero acad. quaest. II. 17), alios vero omnino inter se esse diversos; magnitudine enim eos differre, dixit, in aliis nec solem esse nec lunam, in aliis vero majores esse vel plures. quam, quas jam in nostro mundo videremus; mundos non certis quibusdam intervallis esse distinctos, sed ab hac parte plures, ab illa paucos tantum esse sitos, alios crescere et augeri, alios interire cf. Origen. Philos. p. 891.

Mundo ita quidem orto convenit, quod Stob. ecl. phys. p. 442 dicit: secundum Leucippum et Democritum mundum φύσει ἀλόγῳ esse. — Mundi interitum non per inane quod eum dissolveret, quam violenta potius ratione effecisse videtur Democritus,

---

[1]) Quanam ratione, qui generationis aeternitatem ponat, idem de mundi generationis ita itio loqui possit, quod fecit Dem. explicat Simpl. ad Ph. fol. 257. b.

ita ut mundo in mundum incidente major perderet minorem. Orig. Phil. p. 891 φθείρεσθαι δὲ αὐτοὺς (κόσμους) ὑπ' ἀλλήλων (Gronov. mel. ἐπ' ἀλλ.) προσπίπτοντας et Stob. ecl. phys. p. 416: Δημόκριτός φησιν φθείρεσθαι τὸν κόσμον τοῦ μείζονος τὸν μικρότερον νικῶντος. — Cum Stobaeus l.l. de Leucippo dicat: φθαρτὸν τὸν κόσμον κατ' ἐκπύρωσιν etiam violentas quasdam mutationes in ipso mundo statuisse videtur, quae eum dissolverent, nisi forte, quod magis probabile, pro Λεύκιππος ponendum est aliud nomen v. c. Χρύσιππος.

Terra, quae omnium corporum coelestium prima est exorta (Orig. Philos. p. 893) initio ob molis parvitatem et levitatem agitata, tandem accedentibus atomis condensata constitit: Euseb. P. E. p. 850.

Δημ. κατ' ἀρχὰς μὲν πλάζεσθαι τὴν γῆν διά τε μικρότητα καὶ κουφότητα, πυκνωθεῖσαν δὲ τῷ χρόνῳ καὶ βαρυνθεῖσαν καταστῆναι.

Terra in medio mundo est sita a vertiginis motu, qui omnia in medium rapit, eo delata; quiescit vero ob figuram tympano discove similem in medioque cavam, ita ut aer suppositus terrae transitum non permittat cf. Aristot. d. coel. II. 13 et Euseb. P. E. l.l.

Partes ejus meridionales inclinantur, Plut. d. pl. phil. III. 12. c. not. Beck.

Rebus coelestibus Democritum multum operae navasse, jam ex librorom copia, quos de iis composuit, apparet, et Theophrastus de Democriti astrologia libro singulari exposuit. Diog. L. V. 43. Quare vel iis qui Democriti libris non sunt usi, major fides est habenda.

Stellae luna soleque non exceptis, eadem ra-

tione, qua terra, atomorum conjunctione ortae, initio terrenae et humidae fuerunt naturae, donec exsiccatae et combustae tales evaserunt, quales jam conspicimus. Diog. L. IX. 32, cf. Euseb. P. E. p. 23. D. Theodoret p. 530.

In singulis stellis describendis Democritus Anaxagoram secutus esse fertur. cf. de sole. Stob. ecl. phys. p. 532 de luna ibid. p. 550 de facie lunae ibid. p. 564, de orbe lacteo Arist. Meteor. I. 8 et Stob. l.l. p. 576, de cometis Arist. l.l. 1. 6, quae omnia ad textum afferre, spatii angustia prohibet.

De ordine stellarum secundum Dem. ambigunt scriptores: Diog. L. IX. 33 terrae proximam esse lunam inquit, remotissimum ab ea solem, reliquas stellas inter eas esse interjectas. Sed Origen. Phil. p. 891 εἶναι δὲ τὴν μὲν σελήνην κάτω, ἔπειτα τὸν ἥλιον, εἶτα τοὺς ἀπλανεῖς ἀστέρας· τοὺς δὲ πλανήτας οὐδ' αὐτοὺς ἔχειν ἴσον ὕψος: dicit, et cum eo consentit Plut. d. pl. ph. II. 15 inter lunam vero et solem luciferum interjiciens. — Stellae ab oriente occidentem versus moventur; Plut. d. pl. phil. II. 16. In externis coeli partibus vehementior est motus, isque deminuitur, quo proprius ad terram accedit, unde luna lentissime movetur. Lucret. V. 620.

Res omnes v. c. plantas, animalia atomorum concursu et inani fieri jam supra dictum cf. Plut. p. 1110 E., differentias rerum atomorum figurae magnitudo et dispositio constituunt. Quod quidem videmus in Democriti de elementis doctrina, quam tradidit Arist. d. coel. III. 4.

ποῖον δὲ καὶ τί ἑκάστου τὸ σχῆμα τῶν στοιχείων οὐδὲν

ἐπιδιώρισαν (Λευκ. καί Δημ.), ἀλλὰ μόνον τῷ πυρὶ τὴν σφαῖραν ἀπέδωκαν· ἀέρα δὲ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ ἄλλα μεγέθει καὶ σμικρότητι διεῖλον ὡς οὖσαν αὐτῶν τὴν φύσιν οἷον πανσπερμιάν πάντων.

In explicando hoc loco primum monendum est, quatuor quidem elementa ab Aristotele non afferri, attamen ea statuisse videtur Democritus. (Simpl. ad Phys. fol. 8. οἱ δὲ περὶ Λευκ. κ. Δημ. οὐκ ἐναντιοῦνται πρὸς τὸ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα τῶν συνθέτων εἶναι σωμάτων ἀρχάς cf. Diog. Laert. IX. 44.) De igne saepissime nobis traditum, quod Arist. l.l. dicit. Ex atomis sphaericis eum constituit Democritus earum mobilitatem respiciens. cf. Arist .d. anim. I. 2. de gen. et int. I. 8. Non omnes vero atomi sphaericae ignem efficiunt, sed subtilissimae quaeque. (Theophrast. de sens. §. 75.) De reliquis elementis, quantum quidem scio, aliis in locis nihil traditum habemus. Aeri et aquae et reliquis non definitam quandam figuram assignavit, cum ex iis omnia orirentur; omnes figuras igitur continent, et ita tantum differunt, ut eorum atomi diversam habeant magnitudinem. Sine dubio aera ex atomis minutissimis composuit. Mari vero majores assignavit, et angularas, quod conjicio ex illis, quae de salso maris sapore dixit cf. Theophrast. de sens. §. 66. His subjiciemus quaedam de meteoris quae in terra apparent. Mare perpetua exhalatione peribit, mundo ipso durante cf. Alex. Aphrod. ad Meteor. fol. 95 b. Terrae motum ad aquam retulit, cujus nimia vis terrae infusa eam concuteret cf. Aristot. Meteor. II. 7 et Senec. quaest. nat. VI. 20. Praeterea fulmina, fulgura, tonitru et caetera, quae

ad hoc meteororum genus spectant, accuratissime tractavit, et imprimis diversae dispositionis et conjunctionis rationem habuit cf. Stob. ecl. phys. p. 594. De fulmine etiam hoc Democriti extat dictum: Διόβλητον μὲν οὐδὲν, ὃ μὴ τὸ καϱ' αἰϑϱίης στέγει σέλας. i. e. corpora, quae fulmen transiens non impediunt et retinent, ab eo non feruntur. Plut. Sympos. IV. p. 665 F. (Wyttenbachii lectionem sum secutus.)

Ventus oritur cum in angusto inani multae sunt atomi, quietus et placidus est aeris status, cum in multo inani pauca sunt corpuscula (Senec. nat. quaest. v. 2). — Nili incrementum fieri docuit, cum nive in septentrionalibus terrae partibus liquescente, ex vaporibus densae orirentur nubes, quae ab etesiis meridiem versus agitatae et altissimis Aethiopiae montibis illisae frangerentur et ita demum flumen implerent (Diodor. I. 39. Athenaeus. II. 89. Plut. de pl. phil. IV. 1. Aliam sententiam profert Schol. ad Apoll. Rhod. Argon. IV. 269. p. 395 ed. Shaw.)

De plantis et animalibus multa a Democrito dicta feruntur, sed, quin omnia repetamus, spatium prohibet. Certissima tantum [1]) et quae maxime sunt memoranda, afferemus, ut etiam ab hac parte

---

[1]) Plura apud Plinium in hist. nat. et scriptores de re rustica latinos invenies. Quae vero nimis suspectae sunt fidei, locuosque plurimos collegeruut Harduin in ind. ad Plin. et Schneid. in ind. ad script. r. rust. lat. Huc pertinere videntur imprimis libri, quos de agricultura conscripsit Democ., quorum inscriptiones apud Diog. L. IX. 47. invenies, et quibus usus est Vindanius Berytensis, qui de agricultura scripsit cf. Photii bibl. p. 107. ed. Becker.

viri ingenium ostendamus. — Plantas, quarum meatus recti essent, docuit citius crescere cum facilius ea, quibus nutrirentur, per meatus ad diversas plantarum partes penetrarent Theophrast. d. caus. plant. I. 8 eaque, ex causa minus diu durare ibid. II. 11. Magnetis vis etiam in meatus retulit cf. Alex. Aphrod. quaest. libri IV. fol. 17. b. ed. Ald.

Sed de animalium generatione eum imprimis esse meditatum probant, quae a scriptoribus traduntur:

De coitu dixit: ξυνουσία ἀποπληξιή σμικρή, ἐξέσσυται γὰρ ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου Stob. Serm. VI. 57. cf. Clement. Alex. p. 226, ubi ἐπιληψίη dicitur. Semen e toto corpore et praestantissimis ejus partibus provenit, et vim habet corpoream (ex aere enim constat), nec a maribus solum sed etiam a faeminis effunditur. (Plut. d. pl. phil, V. 3. 4. 5.) Prima corporis pars umbilicus oritur, Plutarch. p. 495 E. (loc. descript. supra p. 20.) Embryo in utero manet, ut membra conformentur ad membra parentis (Arist. d. gen. anim. II. 4.); externaeque corporis partes priores effinguntur, postea internae (ibid.). Embryo per os nutritur Plut. d. pl. phil. V. 16. Sexu jam in utero animalia differunt, (Arist. l.l. IV. i. Diversam sententiam affert Plut. d. pl. ph. V. 7.). Monstra gigni dixit, cum duo semina diversis temporibus infusa inter se confunderentur, et ita membra coalescerent Arist. d. gen. anim. IV. 4. Praeter haec de generatione generalius dicta, etiam de singulis animalibus multa protulit, quorum pauca delibamus. Muli per generationem non propagantur meatibus

in utero corruptis, cum a cognatis animalibus geniti non sint. (Arist. d. gen. anim. II. 7.) Animalia, quae sanguine carent, viscera licet habeant, tamen ea ob parvitatem non cernuntur. Arist. d. part. anim. III. 4. Praeterea de singulis animalibus plura nobis sunt tradita et ab Aeliano, cujus locos in indice attulit Jacobs. et ab Aristot. d. gener. anim. V. 8 hist. anim. IX. 39, quae recensere longum est.

De externa hominis figura ita definivit: ἄνθρωπός ἐστιν, ὃ πάντες ἴδμεν. Aristot. d. part. anim. I. i. Sext. Empir. Pyrrh. hypot. II. 23 adv. Math. VII. 265.

In doctrina de a n i m a Democritus caeteros secutus physiologos inde profectus est, animam esse id, quod omnibus motum praeberet, nil vero aliud movere, nisi quod ipsum moveretur. Anima igitur ex Democriti sententia nunquam quiescit, sed semper agitata omnia secum rapit et movet, et, quae motus est causa, corpus est sublilium partium (λεπτομερές Arist. d. an. I. 5.) ignis est, qui ex atouris constat sphaericis, quae mobilissimae sunt, et omnia possunt penetrare, cf. Aristot. d. anim. I. 2. 3.

Animae igitur, cum motus causae esset, participes esse dixit omnes res, quae moverentur, imo cadaveribus eam assignavit, quippe quae nec calore quodam nec sensu omnino carerent, licet major pars evasisset cf. Plut. d. plac. phil. IV. 4. Et dictionem Democriti prae se fert Theophrast d. sens. §. 71. ἰδίως δὲ (ὁ Δημ. φησιν) ἐπὶ νεκροῦ μοῖραν ἔχειν συνέσεως (ιος?). νεκροῦ pro vulg. μικροῦ ex Philipsoni conjectura restitui. Calorem quendam vitalem, quem vocant, animae tribuit, quod cum ignea ejus uatura cohaeret.

Atomos, quae animam constituunt cum ramentis, quae in radiis solis per fenestras incidentibus apparent, comparasse videtur Democritus, cum omnes scriptores haec afferant, ubi de anima agitur. Quae quidem comparatio licet ad atomorum parvitatem spectare possit cf. supra p. 28. attamen, si Stobaeum sequimur, motus rationem ita illustravit Democritus. Stob. ecl. phys. p. 922 ἐγκινουμένη (ἡ ψυχή) ἐν τῷ σώματι ὥςπερ τὰ ἐν τῷ ἀέρι ξύσματα διὰ τῶν θυρίδων φαινόμενα.

Animam pro sua de motu doctrina per totum corpus dispersit Democritus. cf. Sext. Emp. adv. Math. VI. 349, et Arist. d. anim. I. 5 tamquam Democriti sententiam affert: εἴπερ γάρ ἐστιν ἡ ψυχὴ ἐν παντὶ τῷ αἰσθανομένῳ σώματι. Gravissima haec testimonia iis, quae posterioris aetatis scriptores v. c. Theodoret p. 546 produnt, non evertuntur.

Quibus conveniunt, quae de respiratione, vita et morte censuit. Cum id, quod nos circumdat, corpus constringat extrudatque atomos motum praebentes sive animam, alia ejusmodi corpuscula ingrediantur oportet, quae illud defendant prohibeantque. Quod quidem per respirationem fit [1]), eaque ex causa vi-

---

[1]) Per respirationem etiam corpuscula accedere videntur, quae animam augeant et nutriant, Simpl. ad. Ar. d. anim. fol. 6, Huc spectant ea, quae Aristot. d. resp. IV. dicit: ἐν γὰρ τῷ ἀέρι πολὺν ἀριθμὸν εἶναι τῶν τοιούτων ἃ καλεῖ ἐκεῖνος (Δημ.) νοῦν καὶ ψυχήν. Accuratius vero banc rem explorare non possumus, cum Simplicius l. l. jam de eo plane desperet. Etiam plantis Democritum mentem et cognitionem assignasse dicit Arist. d. plant. I. i.

vunt animalia, quam diu spiritum ducunt. cf. Aristot. d. anim. I. 2. et de resp. IV. Cum vero vehementior fiat impetus, quam cui resistant atomi, quae respiratione ad animam accedunt, extruditur anima et mors inde existit. (Arist. de respir. IV.) Atomi, quae animam constituunt post mortem abreptae dissipantur Stob. ecl. phys. p. 922. ἐν δὲ τῷ ἐκβαίνειν (ἐκ τοῦ σώματος) διαφορεῖται (ἡ ψυχὴ) καὶ διασκεδάννυται, mortalem enim esse animam cum ex tota doctrina sequitur, tum libere confessus est Democritus Theodoret p. 546. C.

Animae, quae unius est corporeae substantiae, plures facultates non tribuit Democritus (Stob. ecl. p. 880), et cum antiquis intellectus diversum quoddam animae genus videretur (Arist. d. anim. II. 2), utrumque idem esse praecepit: Arist. l.l. I. 2.

> Ἐκεῖνος (Δημ.) μὲν γὰρ ἁπλῶς ταὐτὸν ψυχὴν καὶ νοῦν· τὸ γὰρ ἀληθὲς εἶναι τὸ φαινόμενον· διὸ καλῶς ποιῆσαι τὸν Ὅμηρον ὡς Ἕκτωρ κεῖτ' ἀλλοφρονέων. οὐ δὴ χρῆται τῷ νῷ ὡς δυνάμει τινὶ περὶ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλὰ ταὐτὸ λέγει ψυχὴν καὶ νοῦν. — ψυχὴ est humilior animae pars, ad quam sensuum affectiones pertinent.

Cum anima ita omnino in materiam esset depressa, etiam legibus, quae in materia vigent, tenebatur, idque totam nobis de anima doctrinam, quam statuit Democritus, expedit. Aristotelis sententiam optime illustrat Theopbrast. de sens. §. 58. περὶ δὲ τοῦ φρονεῖν ἐπὶ τοσοῦτον εἴρηκεν (Δημ.), ὅτι γίνεται, συμμέτρως ἐχούσης τῆς ψυχῆς μετὰ τὴν κίνησιν· ἐὰν δὲ περίθερμός τις ἢ περίψυχρος γένηται, μεταλλάττειν φησί. Διότι καὶ τοὺς παλαιοὺς καλῶς τοῦθ' ὑπολαβεῖν, ὅτι ἐστὶν ἀλλοφρονεῖν. —

Patet igitur, animam plane eadem qua reliqua corpora ratione a rebus externis moveri. Conscientiam igitur motu temperato et concinno suspendit Democritus laudavitque poetas, quod voce ἀλλοφρονεῖν significassent, animam rebus externis intactam, eandem semper et secum constantem non manere, sed violento quodam extrinsecus impetu accedente ipsam mutari; quod etiam quadrat in poetarum locos, qui huc spectant, et cum versus a Democrito laudatus in nostris Homeri editionibus non exstet, cf. Il. XXIII. 698 et Odyss. X. 374.

Per sensuum affectiones tantum veritatem cognoscimus. Quae vero tactu fiunt, ita ut anima ipsa perceptionibus mutetur.

Aristot. Met. p. 77 ὅλως δὲ διὰ τὸ ὑπολαμβάνειν φρόνησιν μὲν τὴν αἴσθησιν, ταύτην δ' εἶναι ἀλλοίωσιν, τὸ φαινόμενον κατὰ τὴν αἴσθησιν ἐξ ἀνάγκης ἀληθὲς εἶναι φασιν. Arist. d. sens. IV. ὁ Δημ. καὶ — πάντα τὰ αἰσθητὰ ἁπτὰ ποιοῦσιν. Theophrast. d. sens. §. 49. τῷ ἀλλοιοῦσθαι ποιεῖ (Δημοκρ.) τὸ αἰσθάνεσθαι.

Sine dubio Democritus vulgatam sententiam secutus est, similia tantum similibus cognosci, quod jam ex illis apparet, quae supra p. 29. de ratione exposuimus, qua corpus ageret in alterum; de omnibus vero physiologis, Anaxagora excepto, hoc affirmat Arist. d. anim. I. 2. Theophr. d. sens. §. 50. τὰ γὰρ ὁμόφυλα μάλιστα ἕκαστον γνωρίζειν cf. ibid. §. 49. et Sext. Emp. adv. Math. VII. 116.

In Democriti doctrina cum tanti momenti essent sensuum perceptiones, non mirandum eum omnium priorum philosophorum accuratissime de iis

exposuisse. Theoprasti περὶ αἰσθήσεως καὶ περὶ αἰσθητῶν fragmentum sequemur huc usque plane neglectum [1]). De visu ita exponit Theoph. l.l. §. 50.

ὁρᾶν μὲν οὖν ποιεῖ τῇ ἐμφάσει· ταύτην δ' ἰδίως λέγει· τὴν γὰρ ἔμφασιν οὐκ εὐθὺς ἐν τῇ κόρῃ γίνεσθαι, ἀλλὰ τὸν ἀέρα τὸν μεταξὺ τῆς ὄψεως καὶ τοῦ ὁρωμένου τυποῦσθαι, συστελλόμενον ὑπὸ τοῦ ὁρωμένου καὶ τοῦ ὁρῶντος· ἅπαντος γὰρ ἀεὶ γίνεσθαί τινα ἀποῤῥοήν. ἔπειτα τοῦτον στερεὸν ὄντα καὶ ἀλλόχρων ἐμφαίνεσθαι τοῖς ὄμμασιν ὑγροῖς καὶ τὸ μὲν πυκνὸν οὐ δέχεσθαι τὸ δ' ὑγρὸν διιέναι. (In iis quae sequuntur oculorum virtutes describit.)

Falso igitur jam antiqui philosophiae historiae scriptores (v. c. Plut. d. pl. phil. IV. 13, 14. Alex. Aphrod. in Aristot. d. sensu fol. 97). Democrito eandem, quam Epicuro de visu sententiam assignarunt. Epicurus imagines ipsas e corporibus effluentes in oculos irrumpere dixit, Democritus vere praecepit effluvia corporum — ut brevitatis causa Graecum ἀποῤῥοήν insolente Taciti voce reddam — aera inter res et oculos interjectum comprimere, compressoque figuram et colores infigere, aeraque ita ad effluvia conformatum in oculis apparere. (Effluvia ipsa propria voce δείκελα adpellavit cf. Etymol. magn. s. v. δείκελον.)

Rationem, qua effluvium aeri formam imprimeret, cum cera comparavit, quae effigitur Theoph. bl.

---

[1]) Praeter Schneideri editionem in oper. Theoph. tom. 1 p. 647 s.s. prodiit ed. Philippson: Berol. 1831. et jam ante eum partem, quae de Democrito agit, illustravit Burchard in script. schol. gymn. Mindens. 1830.

§. 51. καὶ αὐτὸς λέγει παραβάλλων, τοιαύτην εἶναι τὴν ἐντύπωσιν, οἷον εἰ ἐκμάξειας εἰς κηρόν. (vulg. εἰ σκληρὸν Schneid. emend. in εἰς σκληρὸν, sed coll. c. §. 52. εἰ δὲ ἀὴρ ἀπομάττεται καθάπερ κηρὸς, facillima emendatione lectio in textum recepta, quam jam Burchard restituit, inde redundat.) Etiam solem ad visum efficiendum adhibuisse videtur Democritus, sed ex Theoph. l. l. 54, qui locus corruptissimus est, et manius lacunis nil certi est eruendum. Aera rem inter et oculos interjectum, visum impedire Democritus praecepit, dicens, si ea, quae media essent interjecta, inane essent, vel formicam in coelo ipso esse conspiciendam. Arist. d. anim. II. 7.

Oculus ipse aqua constat cf. Theoph. §. 50 et Arist. d. sens. II. Et aqua ipsa imprimis visum suspendisse videtur Democritus, cui objecit Arist., non cernere oculum, quatenus aqua esset, sed quatenus elemento constaret pellucido Arist. l. l. Oculus, quam recepit affectionem, eam cum caeteris corporis partibus communicat; cur vero oculi tantum cernerent, reliquum vero corpus visus non esset particeps, hanc quaestionem omisit Democritus sec. Arist. l. l. — Quae Democriti de speculis sententia fertur apud Plut. d. pl. phil. IV. 14. nimis cum Epicurea est confusa, quare eam omittemus.

De auditu haec tradit Theophr. l. l. §. 55. εἰς γὰρ τὸ κενὸν ἐμπίπτοντα τὸν ἀέρα κίνησιν ἐμποιεῖν, πλὴν ὅτι κατὰ πᾶν μὲν ὁμοίως τὸ σῶμα εἰςιέναι, μάλιστα δὲ καὶ πλεῖστον διὰ τῶν ὤτων, ὅτι διά τε πλείστου τε κενοῦ διέρχεται καὶ ἥκιστα διαμίμνει· διὸ καὶ κατὰ μὲν τὸ ἄλλο σῶμα οὐκ αἰσθάνεσθαι, ταύτῃ δὲ μόνον· ὅταν δὲ ἐντὸς

γένηται, σκιδνᾶσθαι διὰ τὸ τάχος· τὴν γὰρ φωνὴν εἶναι πυκνουμένου τοῦ ἀέρος καὶ μετὰ βίας εἰσιόντος.

Theophrasti locus explicatione non eget. Postremam loci partem coll. c. Gellii N. A. V. 15 et Becker Anecdot. p. 770 ita emendavit Burchardus ut pro πυκνουμένου reponeret τυπτομένου. Cum vero in locis ab eo laudatis de Democrito sermo non sit, pro πυκνουμένου, quod corruptum esse consentio, restituendum videtur θρυπτομένου, quod praebet Plut. d. pl. phil. IV. 19. ubi de voce agit: Δημόκριτος καὶ τὸν ἀέρα φησὶν εἰς ὁμοιοσχήμονα θρύπτεσθαι σώματα καὶ συγκαλινδεῖσθαι τοῖς ἐκ τῆς φωνῆς θραύσμασιν.

Sapores etiam tactu fiunt, diversique sunt pro diversis atomorum, quae corpus constituunt, figuris Theoph. §. 65.

Odorem ita explicavit Democritus:

ὅτι τὸ λεπτὸν ἀποῤῥέον ἀπὸ τῶν βαρέων ποιεῖ τὴν ὀδμήν· ποῖον δέ τι τὴν φύσιν ὂν ὑπό τινος πάσχει, οὐκέτι προςέθηκεν. Theoph. l. l. §. 82.

Postquam de sensibus egimus, quaeritur, quid nam de rebus ipsis, quas sensibus percipimus [1]), Democritis statuerit. Cum atomi sensibus non percipiendae pro natura sua omni qualitate carerent (Sext. Emp. adv. Math. VIII. 6.) jam inde efficitur, rerum qualitatibus, quae atomorum conjunctione sint ortae, non eandem, quam atomis, veritatem subesse: Attamen duo perceptionum genera sunt distinguenda, quorum unum magis ex atomorum natura est dedu-

---

[1]) Quae quidem licet jam antea tractanda fuissent, tamen, Theophrasti ordinem secuturus, huc reposui.

cendum, alterum potius ab homine gignitur. Illuc grave et leve, durum et molle, huc color, sapor, calor, pertinet. Priora jam respiciemus. — De gravi sententiam servavit

Theophr. l. l. §. 61. Βαρὺ μὲν οὖν καὶ κοῦφον τῷ μεγέθει διαιρεῖ Δημ.· εἰ γὰρ διακριθῇ ἕνθεν ἕκαστον, εἰ καὶ κατὰ σχῆμα διαφέρει διαφέροι, σταθμὸν ἂν ἐπὶ μεγέθει τὴν φύσιν ἔχειν· οὐ μὴν ἀλλ' ἔν γε τοῖς μικτοῖς κουφότερον ἂν εἶναι τὸ πλέον ἔχον κενόν, βαρύτερον δὲ τὸ ἔλαττον· ἐν ἐνίοις μὲν οὕτως εἴρηκεν· Ἐν ἄλλοις δὲ κοῦφον εἶναί φησιν ἁπλῶς τὸ λεπτόν.

Locum corruptissimum ita emendavit Schneider: καὶ γὰρ διακριθὲν μὲν ἕκαστον — διαφέροι, σταθμὸν ἂν ἐπὶ μεγέθει κατὰ τὴν φύσιν ἔχειν; praeterea ejecit διαφέρει, nimium vero a codicum lectione recessit; διακριθὲν ad ea pertinere, quae vacuo commixta non sint, inde apparet, quod τὰ μικτὰ opponuntur; quare ita corrigi volo: εἰ γὰρ διακριθὲν εἴη ἕκαστον — εἰ καὶ κατὰ σχῆμα διαφέρει, σταθμὸν [οὖ?] ἂν ἐπὶ μεγέθει τὴν φύσιν ἔχειν. — εἰ καὶ — διαφερει a Theophrasto interjecta sunt, ita ut ad obliquae dictionis seriem non pertineant, quare indicativum non mutavi; διαφέροι ejeci, quippe quod ex indicativi „διαφέρει" emendatione natum videtur, ita ut primum in margine scriptum inde in textum sit relatum. „φύσιν" a me recte esse constitutum probat Theoph. §. 63. τῶν δ' ἄλλων αἰσθητῶν οὐδενὸς εἶναι φύσιν, ubi grave exceptum est. Totum igitur fragmentum hoc significare videtur: Corpora inani non commixta pro magnitudine pondus habere, mixta vero inani, leviora esse, quae majorem inanis copiam contineant. Priorem sententiae partem illustrat Arist.

d. gent. et int. I. 8. καί τοι βαρύτερον κατὰ τὴν ὑπεροχήν φησιν εἶναι Δημ. ἕκαστον τῶν ἀδιαιρέτων. (ὑπεροχήν magnitudinem sonare non dubitandum). Democriti sententiam a nobis esse restitutam, optime probat Arist. d. coel. IV. 2, ubi Democritum respicit.

De duro et molli haec fuit sententia: σκληρὸν μὲν γὰρ εἶναι τὸ πυκνόν, μαλακὸν δὲ τὸ μανόν, καὶ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον καὶ μάλιστα κατὰ λόγον. Διαφέρειν δέ τι τὴν θέσιν καὶ ἐναπόλειψιν τῶν κενῶν καὶ τοῦ σκληροῦ καὶ μαλακοῦ καὶ βαρέος καὶ κούφου. Theophr. l. l. §. 62.

Locus sat clarus, nonnulla vero emendationem desiderant. καὶ μάλιστα κατὰ λόγον, ut concinnum reddatur cum ante cedentibus, emendandum videtur in καὶ μάλιστα καὶ ἥκιστα κατὰ λόγον, quod non fugit Burchardum, qui conjecit καὶ μαλ. κ. ἥκ. κενὸν ἔχον, quod vero nec auctori ipsi nee mihi placet. ἐναπόλειψιν in ἐναπόληψιν mutandum docet §. 74. ἐναπόληψιν τοῦ ἀέρος. Quae ita generaliora statuerat Democritus, ea in singulis rebus explicandis diligenter et subtiliter definivit acutissimeque distinxit cf. Theoph. §. 62 ss.

Densum vero et rarum generatur pro inanis copia cum corporibus commixti. Simpl. ad categ. ed. Basil. 1551. fol. 68: καὶ γὰρ ἐκεῖνος συνιόντα εἰς ταὐτὸν τὰ ἄτομα σώματα συνιστάναι τὸ πυκνόν φησι, διιστάμενα δὲ ἀπ' ἀλλήλων καὶ μεταξὺ πολλῷ κενῷ διαλαμβανόμενα τὸ ἀραιὸν ἀπεργάζεσθαι.

Reliqua vero, quae sensibus perciperemus, calidum frigidum, sapores, colores, ea sensuum affectionibus fieri, natura non esse, praecepit Democritus, tamquam argumentum afferens, non eadem omnibus

videri animalibus. Theophr. §. 63. Περὶ μὲν [οὖν] βαρέος καὶ κούφου καὶ σκληροῦ καὶ μαλακοῦ ἐν τούτοις ἀφορίζει, τῶν δ' ἄλλων αἰσθητῶν οὐδενὸς εἶναι φύσιν ἀλλὰ πάντα πάθη τῆς αἰσθήσεως ἀλλοιουμένης, ἐξ ἧς γίνεσθαι τὴν φαντασίαν. Οὐδὲ γὰρ τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ θερμοῦ φύσιν ὑπάρχειν, ἀλλὰ τὸ σχῆμα μεταπίπτον ἐργάζεσθαι καὶ τὴν ἡμετέραν ἀλλοίωσιν· ὅτι γὰρ ἄθρουν ᾖ, τοῦτ' ἐνισχύειν ἑκάστῳ· τὸ δ' εἰς μικρὰ διανενεμημένον ἀναίσθητον εἶναι· σημεῖον δὲ, ὡς οὐκ εἰσὶ φύσει, τὸ μὴ ταὐτὰ πᾶσι φαίνεσθαι τοῖς ζώοις, ἀλλ' ὃ ἡμῖν γλυκὺ, τοῦτ' ἄλλοις πικρὸν καὶ ἑτέροις ὀξὺ καὶ τὰ ἄλλα δὲ ὡσαύτως· ἔτι δὲ αὐτοὺς μεταβάλλειν τῇ κράσει καὶ τὰ πάθη καὶ τὰς ἡλικίας· ᾗ καὶ φανερὸν, ὡς ἡ διάθεσις αἰτία τῆς φαντασίας.

Etiam in hoc Theophrasti loco quaedam sunt emendanda: Quae sub initio dicuntur: τῶν δ' ἄλλων αἰσθητῶν οὐδενὸς εἶναι φύσιν, illustrantur a Simpl. ad Phys. fol. 310. (τὰ πρῶτα καὶ ἄτομα σώματα) ταῦτα ἐκεῖνοι (οἱ περὶ Δημ.) φύσιν ἐκάλουν.]. Mediam fragmenti partem illustrat Sext. Emp. Pyrrh. hyp. I. 213. Postremam sententiam certatim emendare conati sunt editores: Schneid. ἔτι δὲ αὐτῶν μεταβάλλειν ἅμα τῇ κράσει καὶ τὰ ἤθη καὶ (sive κατὰ) τὰς ἡλικίας; Burchard. conj. ἐτὶ δὲ αὐτοὺς μεταβάλλειν τὰ πάθη τῇ κράσει καὶ ταῖς ἡλικίαις, quae, ut caetera taceam, etiam a vulg. lect. nimis recedunt. Camot. edit. habet τῇ κρίσει pro τῇ κράσει. Locum illustrant. Sext. Empiric. adv. Math. VII. 136. ἡμεῖς δὲ τῷ μὲν ἐόντι οὐδὲν ἀτρεκὲς συνίεμεν, μεταπίπτον δὲ κατά τε σώματος διαθήκην et Stob. Serm. CXVI. 45. αὐξανομένου τοῦ σώματος συναύξονται φρένες, γηράσκοντος δὲ συγγηράσκουσι καὶ εἰς τὰ πράγματα πάντα ἀμβλύνονται, Quibus quidem vestigiis insistens voces corruptas ita

emendasse mihi videor: ἔτι δ' αὐτοὺς μεταβάλλειν τὴν κρίσιν κατὰ τὰ πάθη καὶ τὰς ἡλικίας.

Quam de hoc perceptionum genere tulit sententiam, eam brevi expressisse videtur Democritus symbolo quodam, quod afferunt scriptores: νόμῳ γλυκὺ, καὶ νόμῳ πικρὸν, νόμῳ θερμὸν, νόμῳ ψυχρὸν, νόμῳ χροιή, ἐτεῇ δὲ ἄτομα καὶ κενόν. ἅπερ νομίζεται μὲν, εἶναι (καὶ) δοξάζεται (τὰ αἰσθητά), οὐκ ἔστι δὲ κατ' ἀλήθειαν ταῦτα, ἀλλὰ τὰ ἄτομα μόνον καὶ τὸ κενόν. Sext. Emp. adv. Math. VII. 135.

Ἐτεῇ est propria Democriti vox, idem sonans, ac ἀληθείᾳ cf. Sext. Emp. Pyrrh. hyp. I. 213. — νομίζεται est νόμῳ factum esse. Quaedam emendanda videntur: τὰ αἰσθητά glossemate in textum esse relatum, nemo non videt, καὶ etiam languet et adjectum videtur, ut sententia glossemate turbata concinnior redderetur. Eandem sententiam ita tradit Diog. L. IX. 44.: ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων ἀτόμους καὶ κενὸν, τὰ δ' ἄλλα πάντα νενομίσθαι. Fuit igitur secundum Democritum νόμος ratio dispositionis et relatio rerum inter se et ad hominem (ejus visum, tactum, gustum, saporem) facta [1]). Quod probat Gallenus d. elem. sec. Hippoc. p. 46 ed Frob. νόμῳ γὰρ χροιὴ κ. τ. λ. ὁ Δημόκριτός φησιν, ἐκ τῆς συνόδου τῶν ἀτόμων γίνεσθαι νομίζων ἁπάσας τὰς αἰσθητὰς ποιότητας ὡς πρὸς ἡμᾶς τοὺς αἰσθανομένους αὐτῶν, φύσει δὲ οὐδὲν εἶναι λευκὸν κ. τ. λ. cf. Simpl. ad Phys. fol. 119. b. et Aristot. d. anim. III. 2. Democritum respiciens: οὐθὲν οἰόμενοι οὔτε λευκὸν οὔτε μέλαν εἶναι ἄνευ ὄψεως οὔτε χυμὸν ἄνευ γεύσεως.

---

[1]) Quid νόμος significet in priorum philosophorum de moribus doctrina explicavit Cl. Ritter. hist. phil. I. p. 332.

Singula vero ita explicavit, ut ad atomorum figuras omnia referens, de saporibus et coloribus accuratissime ageret, cf. Theophr. l. l. §. 64. Multum etiam magnitudinem hic valere dixit in iis ipsis atomis, quae ejusdem essent figurae. [Theoph. d. caus. pl. VI. 2.]

Aliis saporibus alias assignavit atomorum figuras, quas fusius recenset Theoph. §§. 65 ss. sed haec afferre a disputationis nostrae brevitate alienum, quum plurima et explicationem et emendationem verbosiorem postulent. Pauca tantum, ut Democriti rationem ostendam, obiter sunt attingenda, v. c. dulcem saporem componi e rotundis figuris nec nimis parvis, ut corpus plane perfundat, neve vehementer neve celeriter per omnia transeat, acrem esse, figurae angularis, flexuosae, parvae et tenuis, et propter acerbitatem ubique et celeriter perlabi, cf. Theoph. d. sens. §. 65 et d. caus. pl. VI. 1. Praeterea omnibus omnes insunt figurae et, quarum maxima inest copia, eae potissimum saporis perceptionem efficiunt, simulque etiam eorporis ipsius habitus multum valet ad saporum diversitatem generandam. [Theoph. d. sens. §. 67.]

De coloribus Aristot. dicit: Δημόκριτος δὲ καὶ χροιὰν οὐ φησὶν εἶναι, τροπῇ γὰρ χρωματίζεσθαι, [de gen. et int. I. 2:]. Quae quomodo sint intelligenda, docent Arist. d. sens. IV. et imprimis Theoph. d. sens. §. 73 ss. Colorum quatuor simplices statuit Democritus, quos in figuras ita retulit, ut album esset laeve, nigrum asperum, rubrum ex iisdem, quibus ignis, constaret figuris i. e. sphaericis, majoribus tamen, viride vero ex materia solida oriretur et inani;

de postremo colore nil accuratius afferre possumus, quod maxime dolendum, cum in Theophrasti loco lacuna exstet. Caeteri colores, horum mixtione fiunt eamque plurimis exemplis explicavit Democritus, cf. Stob. ecl. phys. p. 364.

De caeteris, quae sensibus percipimus, nihil nobis est traditum nisi forte illud, quod jam supra attulimus, ignem et calidum atomis constare rotundis, cf. p. 43. Quae plurimum inanis continent, ea ex Democriti sententia maxime calefiunt [Theoph. d. sens. 65.], cui non repugnat aliud Dem. praeceptum: „Omne corpus, quo solidius est, hoc calorem citius concipit et diutius servat — his enim corporibus, quae duriora et pressiora densioraque sunt, necesse est, minora foramina esse, et tenuiorem in singulis spiritum." cf. Senec. nat. quaest. IV. 9.

Democriti sententia explorata controversiam dirimere possumus, num praeceptum suum ἀληθὲς εἶναι τὸ φαινόμενον ea everterit. Plurimi ita sentiunt, mihi doctrinae auctor Protagora et caeteris sophistis praestare hoc ipso videtur, quod non item sensuum affectiones simpliciter pro veris certisque habens, singularum potius rationem reddidit accuratiorem; nec Democritus secum ipse pugnans veritatem earum sustulit, ad hominem enim non omnia retulit, ita, ut perceptionum originem ex eo solo peteret, sed alteram earum causam esse affirmavit, atomorum figuras subesse dicens, quibus accedentes hominis sensus ita demum perceptionem efficerent, et uti Theoph. d. sens. §. 69. dicit: ἁπλῶς δὲ τὸ μὲν σχῆμα καθ' αὑτό ἐστιν, τὸ δὲ γλυκὺ καὶ ὅλως τὸ αἰσθητὸν πρὸς

ἄλλο καὶ ἐν ἄλλοις ὥς φησιν (Δημ.). Quod quidem etiam ex Aristotele patet, qui licet eam solam cognitionem Democrito tribuerit, quae ex sensibus est deducta, et ejus de calore, sapore, colore etc. sententiam prodiderit, attamen eum non reprehendit, tamquam secum ipse pugnarit, quod secus eum non omisisse certum est.

Praeter haec, quae ad sensuum perceptiones pertinent, alia adhuc de Democrito nobis sunt tradita, in quibus sensuum perceptionibus rejectis, eam solam cognitionem, quae a ratione proficiscatur, ad veritatem perducere dicit. Propria Democriti verba servavit Sext. Empiric. adv. Mathem. VII. 138:

λέγει δὲ (ὁ Δημ.) κατὰ λέξιν· γνώμης δε δύο εἰσὶν ἰδέαι, ἡ μὲν γνησίη, ἡ δὲ σκοτίη· καὶ σκοτίης μὲν τάδε σύμπαντα, ὄψις, ἀκοὴ, ὀδμὴ, γεῦσις, ψαῦσις, ἡ δὲ γνησίη ἀποκεκρυμμένη (ἀποκεκριμένη?) δὲ ταύτης. εἶτα προκρίνων τῆς σκοτίης τὴν γνησίην ἐπιφέρει λέγων, ὅταν ἡ σκοτίη μηκέτι δύναται μήτε ὁρῆν ἐπ' ἔλαττον, μήτε ἀκούειν, μήτε ὀδμᾶσθαι, μήτε γεύεσθαι, μήτε ἐν τῇ ψαύσει αἰσθάνεσθαι ἀλλ' ἐπὶ λεπτότερον . . . οὐκοῦν καὶ κατὰ τοῦτον ὁ λόγος ἐστὶ κριτήριον, ὃν γνησίην γνώμην καλεῖ. et ibid. VIII. 6. οἱ δὲ περὶ Δημοκριτον μόνα τὰ νοητὰ ὑπενόησαν ἀληθῆ εἶναι, cf. ibid. §. 56.

Sexti sententia elarior est, quam quae explicatione egeat, sed difficultatum angustiae eo augentur, quod neque Aristoteles nec ejus discipuli, quantum quidem scimus, hujus rei mentionem fecerunt. Quaestio in hanc rationem expedienda videtur: Sine dubio Democritus in scriptis suis utramque de cognitione sententiam professus est. Aristoteles ea tantum respexit,

quae si doctrinae auctor sibi omnino constitisset, ex principiis efficerentur, quibus refutatis reliqua posse omittere sibi est visus, et inde est explicandum, cur Aristoteles Democrito sensuum tantum perceptiones tribuerit. De altera cognitionis via in memoriam est revocandum, doctrinae auctorem jam in ipsis fundamentis jaciendis sensuum perceptiones excedentem ad rationem confugisse, nec atomi enim nec inane sensibus sunt percipienda. Quam quidem alteram cognitionem postea etiam in aliis adhibuisse videtur Democritus, ejusque imprimis rationem habuit Sextus quippe quae scepticae rationi magis convenit.

Talis vero doctrinae inconstantia ad nostrae aetatis rationem non est exigenda, cum ab antiquissimis philosophis omnia minus determinata sint, nec accuratius circumscripta [1]). Fortasse ea, quae Protagoras discipulus magis sibi constans ex doctrina de sensibus effecit, Democritum induxerunt ut postea ad alteram cognoscendi rationem affirmandam esset propensior. Huc spectare videntur, quae Plutarchus tradidit, Democritum Protagorae de cognitione doctrinam scriptis oppugnasse, [Plut. adv. Colot. p. 1108. F. Sext. Empiric. VII. 389,], attamen Democritum olim idem, quod Protagoram, statuisse dicit Jo. Philop. ad Arist. d. an. B. 16. Immo Plutarchus tradit:

---

[1]) Cl. Ritter hac de Dem. disputatione benevole excepta mecum communicavit, alteram hanc cognoscendi rationem ipsi referendum videri ad φρόνησιν illam, quae sec. Dem. fieret post concinnum affectionum motum, et de qua locutus esset Theoph. d. sens. §. 65. cf. supra p. 48.

Democritum opiniones quasdam deposuisse. Plut. p. 448. A. Quae quidem licet, pro certis habere nolim, speciem saltem veritatis prae se ferunt, et pro testium inopia sat munita videntur. Qui huc usque de hac doctrina exposuerunt, hujus difficultatis nullam fere rationem habuerunt.

Ne vero in gravissima doctrina inexploratum quid relinquamus, examinandum nobis restat Diotimi de Democrito testimonium:

Sext. Emp. VII. 140. Διότιμος δὲ τρία κατ' αὐτὸν ἔλεγεν εἶναι κριτήρια, τῆς μὲν τῶν ἀδήλων καταλήψεως τὰ φαινόμενα, ὥς φησιν Αναξάγορας, ὃν ἐπὶ τούτῳ Δημόκριτος ἐπαινεῖ· ζητήσεως δὲ τὴν ἔννοιαν· περὶ παντὸς γὰρ ὦ παῖ μία ἀρχὴ τὸ εἰδέναι, περὶ ὅτου ἐστὶν ἡ ζήτησις· αἱρέσεως δὲ καὶ φυγῆς τὰ πάθη· τὸ μὲν γὰρ, ᾧ προσοικειούμεθα, τοῦτο αἱρετόν ἐστιν· τὸ δὲ ᾧ προσαλλοτριούμεθα τοῦτο φευκτόν ἐστιν.

Hunc locum cui nimium hucusque tributum est non tam ex ipsa doctrinae natura esse petitum quam externa tantum tangere, paucis demonstrabo. Prima sententiae pars generalior est, quam unde aliquid conjici possit, omni enim naturae observationi convenit. Alteram sententiae partem quae ad rationem spectare videtur, cave ne ad verbum Democrito tribuas, ejus enim verba non afferuntur, quod plerique censuerunt, sed Platonis, petita ex Phaedri p. 237. B. ed Stephan. Postrema sententiae pars huc non pertinet, sed ad mores referenda.

Quae praeterea sceptica fertur Democriti ratio, jam apparet in Arist. Metaph. p. 177.:

Δημόκριτός γέ φησιν ἤτοι οὐθὲν εἶναι ἀληθὲς ἢ ἡμῖν γ'

ἄδηλον. Propria Dem. verba nobis servavit: Sext. Empir. VII. 136. ἐν δὲ τοῖς κρατυντηρίοις καίπερ ὑπεσχημένος ταῖς αἰσθήσεσι τὸ κράτος τῆς πίστεως ἀναθεῖναι, οὐδὲν ἧττον εὑρίσκεται τούτων καταδικάζων· φησὶ γάρ· ἡμεῖς δὲ τῷ μὲν ἐόντι οὐδὲν ἀτρεκὲς συνίεμεν, μεταπίπτον δὲ κατά τε σώματος διαθήκην καὶ τῶν ἐπεισιόντων καὶ τῶν ἀντιστηριζόντων. καὶ πάλιν φησί· ἐτεῇ μὲν νῦν ὅτι οἷον ἕκαστόν ἐστιν ἢ οὐκ ἐστὶν, οὐ συνίεμεν πολλαχῇ δεδήλωται. ἐν δὲ τῷ περὶ ἰδεῶν· γιγνώσκειν τε χρὴ, φησὶν, ἄνθρωπον τῷδε τῷ κανόνι, ὅτι ἐτεῆς ἀπήλλακται. καὶ πάλιν· δηλοῖ μὲν δὴ καὶ οὗτος ὁ λόγος, ὅτι ἐτεῇ οὐδὲν ἴδμεν περὶ οὐδενὸς, ἀλλ' ἐπιρυσμίη ἑκάστοισιν ἡ δόξις. καὶ ἔτι· καίτοι δῆλον ἔσται, ὅτι ἐτεῇ, οἷον ἕκαστον, γιγνώσκειν ἐν ἀπόρῳ ἐστίν. et Diog. L. IX. 72. ἐτεῇ δὲ οὐδὲν ἴδμεν, ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια. cf. Ciceron. acad. quaest. II. 10. 23. Sexti Empirici locus per se clarus, de libris, qui laudantur quaedam conjectura assequi studebat Fabricius in notis ad h. l. De libro περὶ ἰδεῶν cf. supra p. 25. Huc pertinet etiam, quod Sextus dubitat, num Democritus τὴν τῶν ἀδήλων ἀπόδειξιν sustulerit, cf. adv. Math. VIII. 327.

Quemnam locum in doctrina Democriti illis de veritate dubitationibus assignemus, vix certo statuendum. Democritus inter duas fere oppositas de cognitione sententias agitatus tandem de veritate omnino desperasse videtur.

De reliquis, quae ad animam spectant, pauca sunt monenda; Somnia divinationesque per ea factae per imagines fiunt accedentes, quae a rebus et imprimis ab animalibus propter majorem calorem effluunt, ita ut non solum figuras expressas habeant, sed etiam eorum, quae in anima fiunt, species quasdam

recipientes, somniantibus eorum, unde effluebant, consilia etc. referant cf. Plut. Symp. IX. p. 734. F. Aristot. d. divinat. II. Quocum cohaeret, quae Plut. Symp. V. p. 682. E. refert: Homo enim secundum Dem. alterius animam pellere potest per imagines, quas omnibus suis cupiditatibus et affectionibus praeditas emittit. Quae quidem imagines sensu non plane carent, et iis, quos fascinant, inhaerentes et animam et corpus vexant turbantque.

Democritum veram poeseos naturam cognitam habuisse probat Clem. Alex. p. 827. Δημόκριτος ὁμοίως: Ποιήτης δὲ ἅσσα μὲν γράφῃ μετ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ ἱεροῦ πνεύματος, καλὰ κάρτα ἐστίν, et Cicer. d. divinat. I. 37: «Negat sine furore Democritus quemquam poetam magnem esse posse.» Praeter haec de poesi generalius dicta multum eum in Homero operam posuisse, apparet ex librorum inscriptionibus; et quaedam nobis servata sunt, v. c. Eumaei matrem Peniam fuisse dixit sec. Eusth. ad Od. III. p. 1784 ed. Rom. Deorum historiam allegorice interpretatus est, omnia ad naturam referens; etiam judicum ejus de Homero latum exstat apud Dio Chrys. Orat. 53: Ὅμηρος φύσεως λαχὼν θεαζούσης, ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων. — Institutionem eadem facere, inquit, quae naturam, et quae ita comparata sint, non differre ab iis quae natura dederit. Clem. Alex. p. 631: διόπερ ὁ Δημόκριτος εὖ λέγει· ὡς ἡ φύσις τε καὶ ἡ διδαχὴ παράπλησιόν ἐστιν. Quae a Theodoret p. 526 adjiciuntur: „καὶ τοὺς παλαιοὺς ἀνανεοῦν χαρακτῆρας, οὓς ἐξ ἀρχῆς ἡ φύσις ἐνέθηκε.“ Platonem nimis sapiunt nec a Clemente essent omissa, si ad Democritum pertinerent. — Pro doctrinae

natura temporum successione de Democriti sententia homo est eruditus. Unde natum est dictum illud: »poeta fit, non nascitur,« quod sub Democriti nomine fertur et, Plutarchus dixit, secundum Dem. animalium nos esse discipulos, v. c. aranei in texendo. Plut. p. 974.

Artium primae eae sunt inventae quae ad vitam degendam sunt necessariae, postea, quae utilitatem praebent et voluptatem; quare musicam quam caeteri antiquissimam esse censebant, juniorem esse Democritus dixit:

Philodem de musica lib. IV. in Vol. Hercul. tom. I, p. 135: Δημόκριτος —— οὐδὲ νεόητα (τος?) πολυπράγμων, μουσικὴν φησι νεωτέραν εἶναι, καὶ τὴν αἰτίην ἀποδίδωσι λέγων· μὴ ἀποκρίνω τἀναγκαῖον, ἀλλὰ ἐν (ἐκ?) τοῦ περιεῦντος ἤδη γίνεσθαι, πλὴν ἀλλὰ ἀρχαιοτάτη δοκεῖ τε καὶ φέρειν τι θαυμασιώτατον καὶ ἐγκλείειν.

(Locum exhibui ex emendatione Rossinii et emendationes meas uncis inclusas adjeci.) Similem sententiam profert Arist. Metaph. p. 5. Etiam de lingua multum meditatus est Democritus, sed, quantum scio, nihil nobis de ejus praeceptis traditum, nisi hoc dictum „λόγος ἔργου σκίη,“ cf. Diog. Laert. IX. 37. c. not. Menag. et imprimis Bentlei dissert. de Phalarid. VII. p. 22. et respons. ad Boyl. p. 104 et Lennep ad Phalarid. epistol. p. 260. not. 58.

In Democriti de moribus doctrina exponenda breviori esse mihi licet, cum Democriti fragmenta, quae huc spectant, ex scriptoribus collecta doctissime illustraverit Orelli in opusc. Graecor. sentent. I. p. 92 ss.; idem recte sententias, quae sub Democratis

nomine feruntur, etiam Democrito tribuisse videtur cf. ibid. praef. p. IX. Quod ab ejus instituto aberat, principia exponere, eam quidem provinciam suscepi. — Finem bonorum posuit εὐθυμίαν, quam ita explicat Diog. L. IX. 46:

τέλος δὲ εἶναι τὴν εὐθυμίαν οὐ τὴν αὐτὴν οὖσαν τῇ ἡδονῇ ὥς ἔνιοι παρακούσαντες ἐξεδέξαντο ἀλλὰ καθ' ἣν γαληνῶς και εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου ἢ δεισιδαιμονίας, ἢ ἄλλου τινὸς πάθους. καλεῖ δὲ αὐτὴν καὶ εὐεστῶ καὶ πολλοῖς ἄλλοις ὀνόμασι.

Qualis fuerit εὐθυμία, accuratius prodit libri, quem de ea composuit, initium:

Seneca de tranquillit anim. XII. Hoc secutum puto Democritum, ita coepisse: Qui tranquille etc. et dein sequuntur, quae Graeca affert ex Stob. Orelli fr. 100: τὸν εὐθυμεῖσθαι μέλλοντα χρὴ μὴ πολλὰ πράσσειν, μήτε ἰδίῃ, μήτε ξυνῇ, μηδὲ ὅσ' ἂν πρόσῃ, ὑπέρ τε δύναμιν αἱρεῖσθαι τὴν ἑωυτοῦ καὶ φύσιν· κ. τ. λ.

Cum Democritus igitur ad inertiam quandam inclinasset, et nuptias et liberorum procreationem esse fugiendam docuit, quippe quae eum multis malis malis essent conjuncta, et ab iis, quae magis essent necessaria, abstraherent. Orelli fr. 85, 86, 88. Clem. Alex. p. 503; liberos esse potius ab allis petendos, licere enim eligi pro arbitrio Or. fr. 87. Hinc jam efficitur illud: ὅρος συμφορέων καὶ ἀσυμφορέων τέρψις καὶ ἀτερψίη, Or. fr. 5, et, quod ex Democriti libro περὶ τέλους laudat Clem. Alex. p. 498: τέρψις γὰρ καὶ ἀτερψίη οὖρος τῶν πε有ιηκμακότων (περιηκμακότων emend. in χρηγμάτων). Attamen simul admonet, ne quis ex epulis, compotationibus et Veneris deliciis gaudia

repetat, brevia enim esse, novumque semper voluptatis desiderium injicere. Or. fr. 50. — Haec ex libro περὶ εὐθυμίης vel περὶ τέλους, quem Seneca et Clem. Alex. ll. ll. attulerunt, petita videntur; in libro vero περὶ εὐδαιμονίης ψυχῆς καὶ κακοδαιμονίης veram virtutis indolem magis eum attigisse probat hoc fragmentum:

Εὐδαιμονίη οὐκ ἐν βοσκήμασιν οἰκέει, οὐδ' ἐν χρυσῷ, ψυχὴ δ' οἰκητήριον δαίμονος — συνίστασθαι δ' αὐτὴν ἐκ τοῦ διορισμοῦ καὶ τῆς διακρίσεως τῶν ἡδονῶν· καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ κάλλιστον καὶ συμφορώτατον ἀνθρώποις. Or. fr. 123.

Quare ad temperantiam multis excitat cf. Or. fr. 1, et sapientiam summis effert laudibus, non tamquam per se sit expetenda [1]), sed quippe quae animae medicinam afferat. cf. Or. fr. 4. 11. 13. s.s. et Clem. Alex. p. 100 Ἰατρικὴ μὲν γὰρ κατὰ Δημοκρ. σώματος νόσους ἀκέεται, σοφίη δὲ ψυχὴν παθῶν ἀφαιρεῖται; eaque ex causa anima magis corpore est excolenda. (Stob. Serm. I. 39.) Huc pertinent etiam haec ab eo dicta: Maximae quaeque voluptates ex pulchris facinoribus oriuntur Ov. fr. 7. 20. 25. Per justitiam animi tranquillitas

---

[1]) Non me fugit, vulgo afferri Plut. d. prof. virt. X. p. 81. A., tamquam inde efficeretur, Democritum sapientiam per se expetendam censuisse. Locus est hic: ille qui pulchra facinora reticet, δείκνυσι τὸν λόγον ἔντος ἤδη στρεφόμενον καὶ ῥιζούμενον ἐν ἑαυτῷ καὶ κατὰ Δημ., αὐτὸν ἐξ ἑαυτοῦ τὰς τέρψιας ἐθιζόμενον λαμβάνειν. κατὰ Δημ. significat, Plutarchum Democriti verbis uti cf. Bentlei resp. ad Boyl. p. 104, sed ut vertamus cum Wyttenbachio: quod jubet Democritus, nihil aliud subest, nisi gaudia a rebus externis non esse repetenda, sed ex animo ipso; quod nil valet ad sententiam probandam.

paratur, injustus vero turbatam transigit vitam Or. fr. 120. 31. 32. Praeterea etiam sententiis, quas de verecundia erga se ipsum tulit (Or. fr. 59), nec non iis, quibus injuste agendi ne consilium quidem esse capiendum (Stob. Serm. IX. 31), beneficia in peregrinos et inopes esse conferenda (Or. fr. 134), fortitudine voluptates esse vincendas (Or. fr. 30), praecepit, maculas, quae suae de moribus doctrinae inhaerebant, deluisse videtur; attamen eclogariis minor est fides habenda, quippe qui in elegendis sententiis ne minimam quidem cautionem adhibebant, dummodo sententiis, quae virtutem commendabant, illustrium virorum nomina praeponere poterant. Quantopere enim Democritus a verae virtutis cognitione alienus omnia ad voluptatis et utilitatis rationem revocarit, probant alia, quae sub ejus nomine feruntur v. c. ἀγηθομυθεύειν χρεών, ὅκου λώϊον. Or. fr. 40. et alterum: ἀγαθὸν ἢ εἶναι χρεὼν ἢ μιμέεσθαι Stob. Serm. XXXVII. 23. Rationem vero, quae in virtute exercenda corpus inter et animam intercedat, optime illustrat: Plutarch. de anima I. 2. p. 461 ed. Wyttenb. (tom. V. ed. 4to).

καὶ Δημόκριτος μὲν ἐπὶ τὴν ψυχὴν ἀναφέρων· κακοδαίμων, φησὶν, εἰ τοῦ σώματος αὐτῇ δίκην λαχόντος, ὧν παρὰ πάντα τὸν βίον ὠδύνηται καὶ κακῶς πέπονθεν, αὐτὸς γένοιτο τοῦ ἐγκλήματος δικάστης, ἡδέως ἂν καταψηφίσασθαι τῆς ψυχῆς, ἐφ' οἷς τὰ μὲν ἀπέλυσε τοῦ σώματος ταῖς ἀμελείαις καὶ ἐξέλυσε ταῖς μέθαις, το δὲ κατέφθειρε καὶ διέσπασε ταῖς φιληδονίαις, ὥςπερ ὀργάνου τινὸς ἢ κεύους κακῶς ἔχοντος τὸν χρώμενον ἀφειδῶς αἰτιασάμενος. (Wyttenbachii emendationes in textum recepi.)

Universa Democriti de moribus disciplina virum

prodit, qui doctrinam non tam ex ipsa virtutis natura, quam ex hominnm observatione deductam ad vitae usum conformavit. Quod quidem, licet defendere nolim, nos admonet, ne nimiam judicii serveritatem adhibeamus sicut et ipse hominum peccata non Heraclitea gravitate, sed facetiis et lepore perstrinxit [1]). Dein antiqui Graecorum philosophi ante Socratem suam de moribus doctrinam definitionibus et argumentationibus non circumscribebant quod in rebus phycicis tantum fecisse Democritum Aristoteles docet Metaph. p. 266 (cf. Wendt. ad Tennem. p. 363) et Cicero d. finib. V. 29, dicit: »pauca enim neque ea ipsa enucleate ab hoc (Dem.) de virtute dicta.» Quare ex singulis sententiis ne nimium efficiamus cavendum. Priorum vero philosophorum et dignitatem et gravitatem in doctrina de moribus assecutus non est Democritus, quod necessitas, quam statuit, mere physica fuit, quae homini ne umbram quidem libertatis relinquebat.

Virum, qui etiam atque etiam monuerit, ne, qui εὔθυμος esse vellet, publice nimium ageret, imo ne placere quidem proximis studeret (Plut. 820. F.), rei publicae non admodum fuisse studiosum, conjicere licet; attamen a Plutarcho iis annumeratur, qui maxime rei publicae disciplina excelluerint cf. Plut. p. 1126 A. De arte bellica ipse libros conscripsit et

---

[1]) Huc refero fabulam, Democritum semper risisse, quae quidem animum serenum significat, qui per plurimam doctrinae partem spirat. γελασῖνος inde dictus fertur apud Aelian.: var. hist. IV. 20. cf. Wendt. ad Tennem. tom. I. p. 337.

alios ad eam excitavit: (**ibid.** et Diog. L. IX. 49.). Feruntur etiam sententiae ejus nomine insignitae civilis sapientiae plenae et vix mihi temperare possum, quin unam saltem afferam: ὁ νόμος βούλεται μὲν εὐεργετεῖν βίον ἀνθρώπων, δύναται δὲ, ὅταν αὐτοὶ βούλωνται πάσχειν εὖ· τοῖσι γὰρ πειθομένοισι τὴν ἰδίην ἀρετὴν ἐνδείκνυται. Or. fr. 64. cf. Or. fr. 61, 65, 66. 77, 101 et imprimis Stob. Serm. XLIII. 43, 44, ubi res publicas privatis esse magis curandas docet. Democratiam summis laudibus celebravit: ἡ ἐν δημοκρατίῃ πενίη τῆς παρὰ τοῖς δυνάστῃσι καλεομένης εὐδαιμονίης τοσοῦτόν ἐστιν αἱρετωτέρη ὁκόσον ἐλευθερίη δουλείας. Stob. serm. XLIII. 33. Quocum pugnare videtur, quod apud Plutarch. p. 1100 C., summa bona a regum amicitiis in vitam redundare dicit.

In hac doctrinae ratione Deo locum non esse datum, facile patet, cum necessitatis ictus et pulsus omnia occuparit. Quare primum Democritus nihil antiquius habere debuit, quam opinionum, quae de Diis ferebantur, originem ostendere, quod ita fecit:

Sext. Emp. IX. 24: ὁρῶντες γὰρ, φησὶ, τὰ ἐν τοῖς μετεώροις παθήματα οἱ παλαιοὶ τῶν ἀνθρώπων, καθάπερ βροντὰς καὶ ἀστραπὰς, κεραυνούς τε καὶ ἄστρων συνόδους, ἡλίου τε καὶ σελήνης ἐκλείψεις, ἐδειματοῦντο, θεοὺς οἰόμενοι τούτων αἰτίους εἶναι.

Quibus convenit ratio, qua in Homeri carminibus explicandis versatus est, per allegoricam, quam vocant, interpretationem notiones physicas, quae sub Deorum nomine laterent, eruere studuit. Jovem solem, ambrosiam vero vapores, quibus sol nutriretur, esse praecepit cf. Eusthat. ad Od. XII. p. 1713 ed.

Rom: De Minerva exponens, Tritogeneiae nominis imprimis rationem habuit, ad mentem eam referens, unde tria haec, bonum consilium et bene dicendi et agendi facultas nobis redundarent. cf. Schol. Villois. ad Il. VIII. 39. Eusthat. ad Iliad. p. 896.

Sed cum de Diis opinio tam alte hominum animis inhaerens ex errore solo deducenda non videretur, etiam imagines quasdam Deorum naturae similes statuit; de quibus loquitur

Sext. Emp. IX. 19. Δημόκριτος δὲ εἴδωλά τινά φησιν ἐμπελάζειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τούτων τὰ μὲν εἶναι ἀγαθοποιὰ, τὰ δὲ κακοποιά· ἔνθεν καὶ εὔχεται εὐλόγων τυχεῖν εἰδώλων· εἶναι δὲ ταῦτα μεγάλα τε καὶ ὑπερμεγέθη καὶ δύσφθαρτα μὲν, οὐκ ἄφθαρτα δέ. προσημαίνειν τε τὰ μέλλοντα τοῖς ἀνθρώποις θεωρούμενα καὶ φωνὰς ἀφιέντα· ὅθεν τούτων αὐτῶν φαντασίαν λαβόντες οἱ παλαιοὶ ὑπενόησαν εἶναι θεὸν, μηδενὸς ἄλλου παρὰ ταὐτὰ ὄντος θεοῦ τοῦ ἄφθαρτον φύσιν ἔχοντος.

Duo igitur sunt imaginum genera distinguenda, alterum earum, quae a corporibus effluunt, de quibus supra p. 62 exposuimus, alterum earum, quae non ita a corporibus pendent, sed ὑπόστασιν ἰδίαν, uti Graeci dicunt, habent. In loco, quem ex Sexto Emp. laudavimus, quaedam sunt emendanda: εὐλόγων emendandum in εὐλόγχων, quae constans est lectio apud Plutarch. Moral. p. 419. A. et vit. Aemil Paul p. 255. D., ὑπερμεγέθη corruptum esse, nemo non videt. Propriam lectionem ὑπερφυῆ locus simillimus in §. 42 praebet, eamque probatam vidi codice Sext. Empiric. Monacens. Nro. 159, qui est optimae notae. — Cum sententia, quam in hoc loco de divina-

tione profert, non pugnant ea, quae ex Democrito Cicero affert (d. divinat. I. 57), « sapienter instituisse veteres, ut hostiarum immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu atque ex colore tum salubritatis tum pestilentiae signa percipi, nonnumquam etiam, quae sit vel sterilitas agrorum vel fertilitas futura;" utraque enim sententia est conjungenda.

Generalis de Deo opinionis origine repetita, imprimis eorum, quae de Hade feruntur, rationem habuit, quod patet ex Orell. fr. 114: ἔνιοι θνητῆς φύσεως διάλυσιν οὐκ εἰδότες ἄνθρωποι, συνειδήσει δὲ τῆς ἐν τῷ βίῳ κακοπραγμοσύνης τὸν τῆς βιοτῆς χρόνον ἐν ταραχαῖς καὶ φόβοις ταλαιπωροῦσι, ψεύδεα περὶ τοῦ κατὰ τὴν τελευτὴν μυθοπλαστέοντες χρόνου cf. Stob. serm. XCVIII. 61. et Or. fr. 13. Ἀνοήμονες τὸ ζῆν ὡς στυγέοντες, ζῆν ἐθέλουσι δείματι Ἀΐδεω, et vehementer in eos invehitur, qui superstitiosam in Diis fiduciam collocant. cf. Or. fr. 49. — In vita ipsa ad communem popularium usum se conformasse videtur Democritus, et in aliis sententiis de Diis ea praedicat, quae in sua εἴδωλα non quadrant cf. Or. fr. 121. Huc spectant etiam narrationes, quas de sacrificiis et festis tradit Diog. L. IX. 43. et Origen. cont. Celsum lib. VII. 66 dicit: συμπεριφερόμενον τοῖς πολλοῖς προσποιεῖσθαι, τοῖς ἀγάλμασιν εὔχεσθαι, ὁποῖον ποιοῦσιν οἱ τὰ Ἐπικούρου ἢ Δημοκρίτου ἀσπαζόμενοι.

Ad Democriti de theologia doctrinam pertinet fragmentum a Clemente Alexandrino nobis servatum:

Clem. Alex. p. 709: ἤδη ὥς εἰπεῖν ὑπ' αὐγὰς ὁ Δημόκριτος εἶναί τινας ὀλίγους γράφει τῶν ἀνθρώπων οἳ δὴ ἀνατείνοντες τὰς χεῖρας ἐνταῦθα, ὃν νῦν ἠέρα καλέομεν οἱ Ἕλληνες· πάντα Ζεὺς μυθέεται καὶ πάνθ' οὗτος οἶδε καὶ διδοῖ καὶ ἀφαιρέεται καὶ βασιλεὺς οὗτος τῶν πάντων.

Locus paullum mutatus occurrit: ib. p. 59. τῶν λογίων ἀνθρώπων ὀλίγους φησὶν ἀνατείναντας τὰς χεῖρας ἐνταῦθα κ. τ. λ. Inde priori loco quaedam emendationes redundant: ante ἀνθρώπων est λογίων inserendum, et ἀνατείνοντας in ἀνατείναντας mutandum. Maximas vero difficultates movent, quae sequntur: Quidnam illud est: ὃν νῦν ἠέρα καλέομεν οἱ Ἕλληνες, num antea voce ἀὴρ non usi sunt Graeci? Ridiculum sane commentum. In duobus Clementis locis eadem exstat lectio, sed apud Eusebium, qui Clementis locum in usum suum convertit, invenitur P. E. p. 675 οὗ νῦν ἢ ἕτερα. Locus ita restituendus videtur: εἶναί τινας ὀλίγους γράφει τῶν λογίων ἀνθρώπων ἀνατείναντας τὰς χεῖρας ἐς τούτους, οὓς νῦν ἑτέρους καλέομεν οἱ Ἕλληνες κ. τ. λ. Quid „λογιοι“ sibi velit jam supra p. 10. expositum: sunt ii qui Deorum et gentium historiam callent. Sententia igitur est: Pauci hominum, qui Deorum historiam callent, eos adorant Deos, quos praeter Jovem veneramur, omnia potius munera, quae nos singulis numinibus attribuimus, in Jovem referunt. Sententia sat probabilis, et vitii sedem saltem indicasse mihi videor.

De Democriti theologia alia tradita non habemus unde aliquid effici possit. Ignoro enim, quo jure Beck. in annot ad Plut. d. plac. philos. IV. 10 dicat: «Censuerat nempe Democritus, quo imbecil-«lior et debilior sit anima, eo pluribus eam sensi-«bus adjuvari debuisse.»

Haec hactenus; quae restant ad Democriteae doctrinae expositionem absolvendam, in alteram disputationis partem rejeci, de qua in praefatione exposui.

